GODOFREDI HERMANNI

EPITOME
DOCTRINAE METRICAE

EDITIO TERTIA RECOGNITA.

LIPSIAE,
APVD ERNESTVM FLEISCHERVM.
1852.

GODOFREDI HERMANNI

EPITOME DOCTRINAE METRICAE

EDITIO TERTIA RECOGNITA.

LIPSIAE,
APVD ERNESTVM FLEISCHERVM.
1852.

PRAEFATIO.

Quum exemplaria deficerent editae ante hos sex et viginti annos epitomes doctrinae metricae, operam dedi ut corrigerem, quae vel falsa vel dubia esse intellexissem, servatis tamen numeris paragraphorum. Erant autem duo potissimum metra, quorum alterius numerum non recte constitueram, dactylicum hexametrum *μείουρον* dico, alterius autem, quod est Saturnium, de antiquissima prosodia falsam opinionem eram secutus. Praeterea in iis potissimum metris, quae in carminibus antistrophicis et paromoeostrophis usurpantur, exempla, quibus usus eram, alia emendanda, alia omittenda, alia cum aptioribus commutanda erant. Nam quo maiores progressus ars critica vel codicum novis opibus vel diligentia criticorum facit, eo magis intelligimus, multo severiores quam olim putabatur veteres poetas fuisse. Ceterum ex iis, quae priori editioni praefatus eram, repetenda duxi, mutatis nonnullis, quae sequuntur.

Eos, qui vel ipsi ex hoc libro sine viva magistri voce cognoscere metra volent, vel alios hanc rationem docere instituent, admoneri operae pretium est, ne ea negligant, sine quibus inutilis et quasi caeca manet metrorum scientia. Sunt ea autem tria potissimum.

Primum enim multos esse vidi, qui, quod ea, quae universe de natura numeri disputavi, non satis intellexissent, ne singulorum quidem numerorum rationem legesque potuerint perspicere. Obhaerescunt illi fere in eo, quod temporibus exprimi caussarum atque effectuum consociatio dicatur, quum tamen tempora ipsa per se non aliud ex alio nascantur. Quoniam enim brevitatis caussa saepe de temporibus ita loquimur, tamquam si ipsa caussae effectusque sint, obliviscuntur, quod semper volumus intelligi, imaginem tantum caussarum consecutionis esse numeros. Imago autem illud est, quod non suapte quadam natura aut necessitate tale est, quale est, sed quod propterea, ut speciem referat alius rei, easdem, quas illa res, partes proportionesque partium habet. His igitur suadeo, ut hanc omnem rationem in eiusmodi potissimum exemplis considerent, in quibus numerus inest cum vera caussarum atque effectuum progressione coniunctus. Non sunt autem ulla ad hunc finem magis apta exempla, quam quae ab incessu, cursu, saltu vel hominum vel equorum depromuntur. Vnum afferam, ex quo intelligi poterit, cur basis, quam vocamus, semper ante arsin, numquam ante anacrusin inveniatur. Qui non e cursu, sed ex ipso, in quo stant, loco pedibus iunctis vel fossam vel funem transsilire volunt, colligendarum virium caussa primo bis subsilire solent, tum tertium,

collectis viribus, illum, quem volebant, saltum peragunt. Eum geminum subsultum basis refert. Nunc subsiliat aliquis ita, et deinde uno pede gressum faciat ad impetum capiendum, altero autem terram pellens transsiliat: statim videbit, gressu illo, quo impetum capiebat, qui gressus est anacruseos loco, collectas subsiliendo vires rursum dimitti, omnemque illam subsultationem inutilem reddi.

Secundum, quod plerique negligunt, exercitatio aurium est. Nam quod de pronuntiatione quorumdam verborum Valerius Probus apud Gellium ait lib. XIII. c. 20. *non finitiones illas praerancidas neque foetutinas grammaticas spectaveris, sed aurem tuam interroga, quo quid loco conveniat dicere: quod illa suaserit, id profecto erit rectissimum:* magis etiam in numeros quadrat. Sed ut instituantur aures ad eam subtilitatem, qua in hoc genere opus est, ante omnia recitationi versuum operam dare, multaque eam exercitatione excolere convenit. Qua in re iis versibus initium facere oportet, qui et facillimi sunt et minimam aberrandi ab iusto numero copiam faciunt: versus dico heroicos atque elegiacos, aliosque dactylicos, tum lyrica poetarum Aeolensium metra, ut strophas Sapphicas et Alcaicas. Est autem statim ab initio curandum, ut non dubia et titubante, sed firma et aequabili voce singula pronuntientur; ut non pedes singuli in pronuntiando, sed ordines et membra versuum notentur ac distinguantur; denique ut non sola metra, sed sensus verborum, partesque, ex quibus constat oratio, interpunctionibus rite observatis, bene exprimantur. Nam qui non mature adsueverunt firmae

et masculae recitationi, semper titubare solent, et, dum neque mensuras syllabarum, neque arses et theses recte et fidenter notant, timidum quiddam et vacillans proferre discunt: ut multo melius videatur, firmiter etiam aberrantem a vera ratione numeri, quam sine errore, sed timide ac vacillanter pronuntiare. Errorem enim tanto facilius animadvertas, quo distinctius et certius proferas: quod contra, haesitans, nec vera, nec falsa singula internoscas, praesertim si compositus sit numerus, aut contractionibus et solutionibus variatus. Sed etsi facillime hanc timiditatem evitare licet, ubi versum per singulos pedes scandas, tamen ab hac quidem ratione propterea abstinendum est, quia pedes arbitrariae mensurae sunt, neque naturam continent numeri, quae dumtaxat in ordinibus cernitur et membris versuum. Quare semper ordines singuli, ex quotcumque pedibus constent, voce exprimendi sunt, si numerum auribus recte insinuari volumus. Quem qui semel penitus perceperit, non modo nullis varietatibus mensurarum conturbabitur, sed etiam, quid aptum in quoque numero atque elegans sit, sponte animadvertet. At ne hoc quidem satis est, sed ratio habenda est etiam sensus verborum, et partium, ex quibus composita est oratio, interpunctionumque et pausarum, quas sensus in recitando fieri postulat. Nam quum metra non nisi sensus adiuvandi et quasi coloribus quibusdam pingendi caussa inventa sint, neque illi recte recitant versus, qui ad sensum tantummodo attenti, metra negligunt, neque hi, qui metra sola notantes, quid sententia verborum exigat, non curant: sed ea demum iusta est recitatio, quae utrumque respiciens, id agit, ut, dum

sensui aptis distinctionibus satisfiat, simul etiam metra certo et firmo incessu decurrant. Atque veteres ipsos ad hunc modum recitavisse versus suos, illud prodit, quod multis in metris pro interpunctionis diversitate maiorem minoremve licentiam videmus concessam esse. Animadverti autem magis fere in Latinis versibus recitandis quam in Graecis peccari, et quidem duobus modis: primum eo, quod multi syllabas in vocalem vel in *m* litteram exeuntes ante vocalem plane omittunt, pronuntiantque

descende cael et dic age tibia,
monstr horrend inform ingens, cui lumen adempt est,

quum plene omnia proferenda sint,

descende caelo et dic age tibia,
monstrum horrendum informe ingens, cui lumen ademptum est,

sed sic, ut et *o* ante *e* et ista *um* ante eas quae sequuntur syllabas raptim inserta audiantur quidem, verum ut pars tantum sequentis syllabae. Alterum in quo peccatur hoc est, quod quum Latinus sermo non acuat ultimas syllabas, multi, si syllaba finalis sub ictu est, solum ictum in recitando notant, neglecto qui cuiusque vocabuli proprius est accentu: ut quum in his versibus

sunt delicta tamen, quibus ignovisse velimus,
saxa per et scopulos et depressas convalles,

tamén et *scopulós* pronuntiant, quae vocabula sic proferenda sunt, ut simul utriusque numeri ictus audiatur, *támén*, *scópulós*.

Tertium denique, de quo admonendos puto eos qui recte cognoscere rem metricam volunt, hoc est, ut discant, qui quoque in genere carminis et quoque in loco usitati, et apti, et boni numeri sint. In qua re etsi illud, quod modo dicebam, primum esse debet, ut quis numeros et firmiter pronuntiare, et secundum ordines quemque suos recitare, et sensum voce recte exprimere sciat: tamen ad hoc alia etiam accedat exercitatio oportet, quae in eo versatur ut quis multa diuturnaque lectione, quid proprium cuiusque vel aevi, vel scribendi generis, vel poetae, vel carminis locive sit, diiudicare discat. Quod qui consequi volunt, id inprimis curare debent, ut non multos simul, sed unum eumdemque poetam quoque tempore, eumque solum, et iterum atque iterum, neque obscura illa cum diligentia, quae singulas syllabas atque apices rimatur, sed, quo fine scripserunt poetae, oblectationis caussa, legant. Nam etsi ego non is sum, qui a diligente atque accurata veterum scriptorum lectione dehortari quemquam aut deterrere velim, quam laudandam potius ac vehementer commendandam arbitror: tamen ita sentio, qui recte intelligere scriptores antiquos velit, eum hoc eos fine lectitare debere, quo ipsi ut legerentur, conscripserunt hos libros. Quod etsi nos, qui et temporis tanto intervallo ab iis discreti sumus, et corrupta plurimis in locis scripta eorum habemus, non possumus aliter, quam magno diligentique studio efficere; tamen ita debemus accuratam illam lectionem a cursoria, quam

vocant, disiungere, ut cursoria illa et incipiendum, et in ea finiendum esse meminerimus. Nam incipiendum ab ea est, ut mentem prius ingeniumque scriptoris cognoscamus, quam de singulis eius locis dictisve indicemus, et finiendum in ea, quia operosiore illa et accuratiore lectione hoc ipsum consequi studemus, ut sine difficultate legere scriptorem possimus. Vbinam autem hoc magis, quam in poetis, facere oporteat, qui non ut magno cum labore scripta sua pervestigemus, sed ut oblectemur, animosque nostros commoveri sentiamus, carmina illa condiderunt? Omninoque si quis quaerat, cur multi, iique doctissimi homines vel fuerint, vel etiamnum sint, qui, si verum fateri velimus, nullum umquam veterem scriptorem vere intellexisse videantur, facile reperiat id eo factum esse, quod, quum omnem vitam in singulorum locorum verborumque explicatione consumpserint, non potuerint eo pervenire, ut, unde omnia pendent, mentem, consilium, ingenium eorum, quorum scriptis tantopere insudarunt, perspicerent. Quod si numeros spectamus, quae res tota ad animos commovendos inventa est, quis non videt, eum demum aliquid in hoc genere proficere, qui scripta poetarum ita legat, ut, dum dictorum vi commoveri sese velit, numeris ad id ut adiumento, qui finis et quae virtus est numerorum, utatur: quod contra is, qui multo labore singulas syllabas ponderat, quia non habet, unde quid aptum quid ineptum sit, diiudicet, non poterit non, ut ait Terentius, facere intelligendo ut nihil intelligat. Sed quoniam in hoc genere omnia ad sensum redeunt, qui non argumentis cogi potest, sed usu atque exercitatione erudiri debet, propterea necessarium

est, ut diu multumque uno in scriptore, unove in genere carminis moremur, neque confundi nos et perturbari admiscendis alienis patiamur. Quidquid enim adsuescendo addiscendum est, aliquamdiu sine intercapedine tractari debet, quo, si singula penitus sese nobis insinuarint, deinde diversitates sponte animadvertamus.

Ceterum saepe in hoc genere multa opus est et diligenti cogitatione, ubi, cur quid et quando fieri aut non fieri soleat, ratio reddenda est. Exemplo utar luculento, de quo olim multum et acerbius, quam decebat, disputatum est. Nam quum esset quaesitum, an recte in trimetri comici pede quarto, si is anapaestus esset, ita posset incidi, ut verbum in priore brevium syllabarum finiretur, alii id licitum, alii non licitum, alii certis conditionibus licitum iudicarunt. Ex quibus qui de hac re disputavit, Car. Reisigius in Diariis Ienensibus m. Decembri a. **1817.** fol. **223.** et **224.** proxime verum accessit. Non enim confectam ab eo esse rem dixerim, qui non putem verum esse, quod ille contendit, in secundo quartoque pede eam incisionem propterea recte se habere, quod hi pedes syllabam ancipitem adspernentur, ideoque prima harum brevium necessario statim pro brevi agnoscatur, neque ambiguum maneat, utrum pro brevi, an pro longa habenda sit, quod fore, si in tertio quintove pede eiusmodi incisio fiat. Nam ambiguitatem, quam in tertio et quinto pede exstituram dicit, nulla est: et, si qua est, est etiam in secundo quartoque pede. Quoniam enim quaecumque in medio trimetro inveniatur syllaba anceps, ex numeri lege pro brevi est, ut, si natura longa sit, brevis syllabae locum teneat; si brevis sit natura,

iure suo brevis habeatur: nulla omnino potest ambiguitas nasci, si ea syllaba est prima anapaesti. Nam etiam si iambus pes ille foret, non posset non pro brevi haberi, tantoque magis, quia natura brevis est, quae etiam si longa natura foret, non longae, sed brevis officio functura esset. Quod si quid eam ambiguitatis habere putabimus, longe id alia in re positum erit, eaque etiam secundi quartique pedis communi. Nam sane incisione in ea syllaba facta, illud ambiguum est, utrum ea syllaba totam thesin, an partem tantummodo theseos contineat. Et quum proprie thesis in quocumque trimetri loco una syllaba constare debeat, par est omnium pedum conditio, ut, ubi finitum in ea syllaba vocabulum reperiamus, non nihil offensionis ex accessione alius non necessariae syllabae enasci videatur. Illud vero recte vidit Reisigius, maiorem interpunctionem in illa syllaba factam aliquando tuendae illi caesurae inservire. Ac senserat ille, quae caussa esset huius rei; sed quoniam in ea explicanda a vero, ut ego quidem arbitror, aberraverat, fieri non poterat, quin diversa permiscendo, id quod omnibus acciderat, qui hanc rem disputavimus, etiam quae non sunt probanda, defendi posse existimaret. Res haec est. Offensio omnis in eo posita est, quod, quum dipodia per anapaestum citatius decurrere debeat, finis verbi in primam anapaesti syllabam incidens celeriorem illum numeri decursum pausa facta interrumpit et retardat:

⏒–́⏑ | ⏑–

Haec perversitas quattuor maxime modis obscurari vel tolli potius potest.

Primo si primam anapaesti syllabam facit vox monosyllaba ita cum sequentibus cohaerens, ut non possit ad praecedentia trahi. Eccles. 104. Acharn. 498.

νυνὶ δ', ὁρᾷς, πράττει τὰ μέγιστ' ἐν τῇ πόλει.
εἰ πτωχὸς ὤν, ἔπειτ' ἐν Ἀθηναίοις λέγειν.

Sic enim syllaba ista moram omnem adspernatur, et pars est anacruseos ad sequentem arsin pertinentis:

⏒–́ | ⏑⏑–́⏒–́⏑–

Contra pravus est versus, si ea vox cum praecedentibus cohaeret, ut in illo, quod Brunckius dedit in Acharn. 748.

ἐγὼ δὲ καρυξῶ γα Δικαιόπολιν, ὅπα.

Secundo nihil offensionis habet incisio in illa syllaba facta, si gravis caesura ante tertiam arsin fit. Ita enim novus in tertia arsi incipiens numerus arcte coniungi voces, quae sunt in quarto pede, postulat:

⏒ | –́⏑⏑–⏒–́⏑–

Sic in Lysistrata v. 768. in Avibus v. 441. in Ranis v. 652. 658.

μὴ στασιάσωμεν· ἔστι δ' ὁ χρησμὸς οὑτοσί.
ὁ μαχαιροποιός, μήτε δάκνειν τούτους ἐμέ.
ἅνθρωπος ἱερός. δεῦρο πάλιν βαδιστέον.
τί τὸ πρᾶγμα τουτί; δεῦρο πάλιν βαδιστέον.

Quod secus est, nulla huiusmodi caesura praecedente, ut in Ranis v. 1307.

πρὸς ἥνπερ ἐπιτήδεια τάδ' ἔστ' ᾄδειν μέλη.

Vbi veteres libri rectius:

πρὸς ἥνπερ ἐπιτήδεια ταῦτ᾽ ᾄδειν μέλη.

Sed quum in cod. Rav. *τάγ᾽ ἐστ᾽* inventum sit, vera scriptura haec esse videtur:

πρὸς ἥνπερ ἐπιτήδεια τάδε γ᾽ ᾄδειν μέλη.

Tertio recte finitur verbum in prima anapaesti syllaba, si in quarta arsi caesura est, verba autem, in quibus anapaestus est, sensu cohaerent. Nam sensus, coniungi verba illa postulans tanto magis accelerat decursum numeri, quod statim secutura est pausa in quarta arsi, ad quam usque perduci numerus debeat:

⏑́⏑⏑– | ⏑́⏑–

Ita in Thesm. v. 609.

ἔχουσα; τίτθη νὴ Δί᾽ ἐμή. διοίχομαι.

Et in Nub. v. 71.

ὥςπερ Μεγακλέης, ξυστίδ᾽ ἔχων· ἐγὼ δ᾽ ἔφην.

Nam ne quis hic putet interpunctionem eam, quae ante tertiam arsin est, aliquid ad rem facere, licebit versum ita mutare, numeris non minus rectis:

ὥςπερ Μεγακλέους ξυστίδ᾽ ἔχων· ἐγὼ δ᾽ ἔφην.

At ubi verba, in quibus anapaestus est, sensu disiungas, statim animadvertas numerum depravari:

ξυστίδα, Μεγακλέης ὥςπερ, ἔχων· ἐγὼ δ᾽ ἔφην.

Quod in Lysistr. 838. legitur,

ἔγωγε· κἄστιν οὑμὸς ἀνὴρ Κινησίας,

sic videtur corrigendum esse:

ἔγωγε· κἄσθ᾽ οὑμός γ᾽ ἀνὴρ Κινησίας.

Alia iam vel ex codicibus vel certa coniectura vitio liberata sunt, ut Vesp. 11. Eq. 7. 208. Ran. 76. Av. 40. Lys. 200. Eccless. 146. 167. 428. Singularis ratio est versus 415. Pacis,

καὶ τοῦ κύκλου παρέτρωγον ὑφ᾽ ἁρματωλίας,

qui specie, non re, vitiosus est. Nam eum histrio si sic pronuntiasset, uti debebat,

καὶ τοῦ κύκλου παρέτρωγον ὑφ᾽ ἁμαρτωλίας,

recte se haberet numerus: sed iussit eum poeta veluti lingua aberrantem ὑφ᾽ ἁρματωλίας, dicere: quapropter illum haec verba sic pronuntiasse putandum est, ut ὑφ᾽ ἅρμα pro tribracho esset. In Vespis v. 1169. quae praecedunt de calceis Laconicis dicta sic scribendum ostendunt:

ὡδὶ προβὰς τρυφερόν τι διαλακώνισον.

In Thesmophoriazusis secundis apud Athenaeum XV. p. 690. D. recte Dobraeus scripsit:

ὦ Ζεῦ πολυτίμηθ᾽ οἷον ἐπέπνευσ᾽ ὁ μιαρός.

Quarto, si in ea ipsa syllaba, quae prima anapaesti est, gravis caesura fit. Nam quum haec cae-

sura faciat, ut quarta arsis iam non sit pars praecedentis ordinis, sed ipsa novum ordinem incipiat, apertum est removeri illud, in quo offensionem esse dicebamus. Iam enim non in medio ordine pausa fit, sed in fine ordinis; quem deinde alius ordo excipit, anacrusin habens ex irrationali brevi, quia etiam praegressus ordo irrationali brevi finiebatur. Hac ratione defendi potest hoc in Vespis v. 1369.

τῶν ξυμποτῶν κλέψαντα; Φ. ποίαν αὐλητρίδα;

in quo tamen si, ut §. 156. dixi, *τὴν αὐλητρίδα* scribatur, nihil erit quod vituperari possit. Certius est hoc exemplum in Ranis v. 1220.

Δ. Εὐριπίδη, ΕΥ. τί ἔστιν; Δ. ὑφέσθαι μοι δοκεῖς.

Quocum ego quidem non comparem, quae Reisigius, quod *ἐστὶν* in fine quaestionis semper plenum proferatur, eiusdem generis esse putabat, in Pace v. 187. in Avibus 1495. in Nubibus 214.:

ἙΡ. πατὴρ δέ σοι τίς ἐστιν; Τ. ἐμοί; μιαρώτατος.
ΠΡ. ποῖ Πεισθέταιρός ἐστιν; ΠΕΙ. ἔα, τουτὶ τί ἦν;
ΕΤΡ. ἀλλ᾽ ἡ Λακεδαίμων ποῦ ᾽στιν; Μ. ὅπου ᾽στίν; αὑτηΐ.

Immo haud scio an his in locis scribendum sit ἔστ᾽. In omnibus enim omitti poterat *ἐστί*, quia de aliis rebus quaeritur, non de eo, quod isto verbo continetur. Ab eo genere multum abest *τί ἔστιν*, quo quum

significetur quid factum sit, non potest omitti ἐστί, sed efferendum est voce in pronuntianda quaestione, eaque caussa aptius videtur integrum quam intercepta vocali proferri. Non ausim eo modo defendere Nubium v. 1192.

ΣΤΡ. ἵνα δὴ τί τὴν ἔνην προςέθηκεν; Φ. ἵν', ὦ μέλε,

praesertim quum in uno codice προςέθηκ' inventum sit.

Praeter hanc de qua dictum est anapaesti in trimetro iambico divisionem alia est quae improbatur verborum in versu terminatio, commemorata §. 154. quum ante arsin dactylus finem vocabuli habet, ut in versu Lysistratae sic in quibusdam libris scripto:

ἀλλ' οὐκ ἐκείνων ἦν τάδε προυργιαίτερα.

vel in Pluto v. 688.

τὸ γρᾴδιον δ', ὡς ᾔσθετο δή μου τὸν ψόφον.

Vbi quum aliquot libri δὴ omittant, corrigendum videtur sic:

τὸ γρᾴδιον δ', ὡς ᾔσθετ' ἀπ' ἐμοῦ τὸν ψόφον.

Pertineret ad hoc genus quodammodo, quod ex Alexidis Milite apud Athenaeum VI. p. 223. E. allatum est:

ἀπόλαβε. τουτὶ δ' ἔστι τί; ὃ παρ' ὑμῶν ἐγώ,

de qua pedum compositione dictum est §. 157. Verum id sic emendandum puto:

Α. ἀπόλαβε
τουτί. Β. τί τοῦτο δ' ἔστιν. Α. ὃ παρ' ὑμῶν ἐγὼ
παιδάριον ἔλαβον, ἀποφέρων ἥκω πάλιν.

Accedat his plane alius generis observatio. In iis vocibus, quae per synecphonesin coalescunt, de quibus dictum est §. 90. Casaubono ad Athen. II. 14. esse videbatur *μὴ ὥραισι* in fragmento Alexidis, quod Athenaeus servavit p. 55. C. Eius formulae genuinam scripturam testatam habemus ab Ioanne Alexandrino in *τονικοῖς παραγγέλμασιν* p. 35, 32. *τὸ ὥρασι, μὴ ὥρασιν ἵκοιο, προπαροξύνεται μὲν εὐλόγως παρὰ βαρυτόνου τοῦ ὥρα, οὐκ ἔχει δὲ προϋποκείμενον τὸ θεν.* Aristophanis versus sunt in Lysistrata 391. 1037.

ἔλεγε δ' ὁ μὴ ὥραισι μὲν Δημόστρατος,
ἀλλὰ μὴ ὥρας ἵκοισθ', ὡς ἐστὲ θωπικαὶ φύσει.

Formula ipsa non est in apertissimis. Dixerunt de ea praeter Casaubonum l. c. et in Lectt. Theocr. c. 16. p. 273. a. Heinsius in Lectt. Theocr. c. 13. p. 341. interpretes Aristophanis, et nominatim Berglerus, ad Lys. 391. interpretes Luciani T. I. p. 218. seq. T. II. p. 270. T. III. p. 307. Valckenarius ad Adoniaz. p. 370. Reiskius et Coraes ad Plutarch. Themistocl. c. 21. sed quorum maxime sententiam requiras, Hemsterhusius et Valckenarius, alter alibi se pluribus hanc locutionem explanaturum

dicit, alter, Hemsterhusii consilio diem supremum intervenisse ratus, monet, ut, qui de hac re disputari velit, Scholiasten Luciani T. II. p. 270. adhibeat, mira sane tradentem, sed parum profecto fructuosa. Abominandi formulam esse, satis constat. Quod colligunt, quia εἰς τὰς ὥρας ἵκοιτο significet in proximum annum veniat, eamdem interpretationem etiam negativae formulae adhibendam esse, parum firma argumentatione conclusum est. Sane quidem ita loqui licet in epico carmine, aut elegiaco aut lyrico, ut in epigr. incert. XIII. s. Anthol. Pal. XII. 107.

τὸν καλὸν, ὦ Χάριτες, Διονύσιον, εἰ μὲν ἕλοιτο
τἀμά, καὶ εἰς ὥρας αὖτις ἄγοιτε καλόν·
εἰ δ' ἕτερον στέρξειε, παρεὶς ἐμέ, μύρτον ἕωλον
ἐῤῥίφθω ξηροῖς φυρόμενον σκυβάλοις.

At apud Atticos et in prosa oratione εἰς τὰς ὥρας dicitur, ubi annus proximus significatur: v. Eurip. Iph. Aul. 122. Aristoph. Ran. 380. Nub. 562. Thesm. 950. Diog. Laert. II. 32. qui locus in primis ad hanc rem accommodatus est. Ex quo apertum est aliter explicandam esse hanc formulam. Ac non solum μὴ ὥρασιν ἱκέσθαι, sed etiam μὴ ὥρας ἱκέσθαι, atque adeo μὴ ὥραν τινὸς γίγνεσθαι dici videmus, qua forma usus est Timocreon Rhodius apud Plutarchum Themist. c. 21. cuius versus, qui ex epitritis et dactylicis numeris compositi sunt, ita scribendi videntur:

ἀλλ' εἰ τύγε Παυσανίαν, ἢ καὶ τύγε Ξάνθιππον αἰνεῖς,
ἢ τύγε Λευτυχίδαν, ἐγὼ δ' Ἀριστείδαν ἐπαινέω,
ἄνδρ' ἱερᾶν ἀπ' Ἀθανᾶν
ἐλθεῖν ἕνα λῷστον· ἐπεὶ Θεμιστοκλῆ' ἤχθαρε Λατώ,
ψεύσταν, ἄδικον, προδόταν, ὃς Τιμοκρέοντα, ξεῖνον ἐόντ',
ἀργυρίοις σκυβαλικτοῖσι πεισθείς, οὐ κατᾶγεν
εἰς πάτραν Ἰάλυσον,
λαβὼν δὲ τρί' ἀργυρίου τάλαντ', ἔβα πλέων εἰς ὄλεθρον,
τοὺς μὲν κατάγων ἀδίκως, τοὺς δ' ἐκδιώκων,
τοὺς δὲ καίνων, ἀργυρέων ὑπόπλεως,
Ἰσθμοῖ δὲ πανδοκεὺς γελοίως ψυχρὰ κρέα παρέχων·
οἱ δ' ἤσθιον, κηὔχοντο μὴ ὥραν Θεμιστοκλεῦς γενέσθαι.

Videndum primo, *μὴ* utrum ad verbum, an ad nomen pertineat. Ad verbum aperte rettulit Theophylactus, ita scribens: *μὴ ἵκοιτο ὥρας ὁ Λεύκιππος.* Cum nomine coniunxisse videntur Aristophanes, Alexis, Timocreon, Lucianus, non solum quod non interposuerunt aliam vocem, sed quod Alexis certe et Lucianus particulam non post *μή*, sed post *ὥρασι* collocarunt. In Alexidis fragmento quidem excidit particula, sed restituendam esse metrum ostendit:

μὴ ὥρασι μὲν
τὰ τῶν κακῶν ἵκοιθ' ὁ τοὺς θέρμους φαγών.

Lucianus autem de saltat. c. 5. ita scribit: *μη ὥρασιν ἄρα ἱκοίμην, εἴ τι τοιοῦτον ἀνασχοίμην ποτέ* Et sic saepius. Ac magnopere hanc rationem poetae confirmant, qui, si *μὴ* non pertineret ad nomen, separavissent particulam ab nomine. Nam sive hiatum facerent hae voces, vitandus ille erat, si non erat necessarius; sive per synecphonesin coniungerentur, ea ipsa indicio est, separari has voces non debere, sed particulam cum nomine esse copulatam. Hinc apertum esse arbitror, constructionem verborum non eam esse, quae primo adspectu videatur, *μὴ ἵκοιτο ὥρας*, vel *ὥρασιν*, aut *μὴ γένοιτο ὥρα τούτου*, sed hanc, *ἵκοιτο μὴ ὥρας, ἵκοιτο μὴ ὥρασι, γένοιτο μὴ ὥρα αὐτοῦ*. Porro vero quaerendum, utrum synecphonesis in his fiat, an hiatus sit. In Aristophanis quidem posteriore versu Bisetus videtur *μὴ ὥραισιν* legisse, ut facile quis ita scribendum coniicere possit:

ἀλλὰ μὴ ὥρασίν γ' ἵκοισθ' ὡς ἐστὲ θωπικαὶ φύσει.

At recte videntur libri *μὴ ὥρας* praebere. Neque enim veri simile est Aristophanem *μὴ ὥρασ' ἵκοισθε* scripsisse. Itaque quum in utroque eius versu pariterque in Timocreontis carmine *μὴ ὥρασι, μὴ ὥρας, μὴ ὥραν* cum hiatu, et quidem ita ut in his exemplis omnibus *μὴ* sub ictu sit, positum videamus, non videtur dubitandum esse, quin *μὴ* in his formulis non modo sine synizesi, sed etiam solito fortius pronuntiatum fuerit. Interpretationem dedit Eustathius p. 1619, 62. ad illud Odysseae IX. 134.

μάλα κεν βαθὺ λήϊον αἰεὶ
εἰς ὥρας ἀμῷεν·

τὸ δὲ εἰς ὥρας ἐξ Ὁμήρου λαβόντες οἱ Ἀττικοὶ φασὶν ἐπὶ ἀρᾶς τὸ μὴ ἐς ὥρας ὁ δεῖνα ἵκοιτο, ἀλλὰ δηλαδὴ πρὸ ὥρας ἐκθερισθείη.

Reliquum est ut meritam laudem impertiam Ottoni Kreusslero, philos. doctori, magistro in schola quae apud nos est Nicolaitana, quem quum propter accuratam doctrinam, tum propter animi integritatem carissimum habeo. Is enim mihi non solum in corrigendis erroribus typothetae diligentissimam operam praestitit, verum etiam ex iis quae ipse adnotata habebat hic illic aliquid quo uterer subministravit. Ac fere nihil peccati relictum inveni, nisi vel spiritum aliquem vel accentum, idque ipsum rarissime, omissum: praeterea haec quattuor, primum quod lib. **II.** c. **IV. V.** indices capitum permutati sunt, quorum capitum quarti inscriptio esse debebat *de numero trochaico*, quinti autem *de versibus trochaicis;* alterum, quod p. **115.** v. ult. scribendum erat φυλάσσει pro φυλάσσαν, et p. **129.** prima verba *nisi qui*, quae ultima sunt praecedentis paginae, repetita sunt; denique, quod §. **132.** versu sexto, quae mea culpa est, non *quattuor in thesi syllabas*, sed *quattuor pro trochaeo syllabas* scribere debebam. Ibidem in alterius illarum formarum descriptione ictus omissus est: debebat enim talis esse:

⏑ | ⏑́ ⏑ | –
– | ⏑́⏑ ⏑⏑ | –

Addendum est §. 330. de metro ἐνοπλίῳ disputatum esse a Fr. Ritschelio in Museo Rhenano a. 1841. II. pag. 290. seq. qua in dissertatione etiam alia, nominatim metrum prosodiacum, sunt tractata.

INDEX CAPITVM.

LIBER I.

Cap.		pag.
I.	De numero	1
II.	De arsi, thesi, et anacrusi	4
III.	De ordinibus	7
IV.	De mensura	11
V.	De permutatione numerorum	13
VI.	De versibus et systematis	15
VII.	De numeri musici cum metrico coniunctione	17
VIII.	De caesura	19
IX.	De syllaba ancipiti	21
X.	De prosodia	23

LIBER II.

De metris simplicibus.

Cap.		pag.
I.	De generibus metrorum simplicium	36
II.	De arsi nuda et basi	36
III.	De numeris parium temporum	38
IV.	De numero trochaico	39
V.	De versibus trochaicis	40
VI.	De trochaicis monometris, dimetris, et trimetris	41
VII.	De trochaicis tetrametris catalecticis	42
VIII.	De trochaico tetrametro claudo	44
IX.	De trochaicis tetrametris acatalectis	44
X.	De trochaico pentametro	45
XI.	De versu ithyphallico	46
XII.	De numero iambico	46
XIII.	De iambicis monometris et dimetris	48
XIV.	De iambicis trimetris acatalectis	49
XV.	De trimetro iambico claudo	60
XVI.	De iambico tetrametro catalectico	61
XVII.	De iambicis tetrametris acatalectis	65
XVIII.	De continuatione numeri trochaici apud Romanos	67
XIX.	De versibus Creticis	71
XX.	De numero antispastico	78
XXI.	De versibus dochmiacis	86
XXII.	De versibus Bacchiacis	104
XXIII.	De numero dactylico	108
XXIV.	De versibus dactylicis	109
XXV.	De versu heroico	116
XXVI.	De hexametro μειούρῳ	127
XXVII.	De pentametro elegiaco	128
XXVIII.	De versibus Aeolicis	131
XXIX.	De dactylicis logaoedicis	133
XXX.	De versibus anapaesticis	136

Cap.		pag.
XXXI.	De anapaesticis dimetris	137
XXXII.	De anapaesticis tetrametris	147
XXXIII.	De anapaestis cycliis	152
XXXIV.	De anapaesticis logaoedicis	153
XXXV.	De versibus choriambicis	155
XXXVI.	De versibus Ionicis a maiori	164
XXXVII.	De Ionicis a minori	168
XXXVIII.	De versibus Anacreonteis	171
XXXIX.	De versu Galliambico	180
XL.	De versibus paeonicis	181
XLI.	De quartis paeonibus	184
XLII.	De parapaeonicis aliisque longioribus numeris	185

LIBER III.

De metris mixtis et compositis.

I.	De generibus metrorum mixtorum et compositorum	187
II.	De versibus Glyconeis	189
III.	De versu Priapeo	209
IV.	De metro Eupolideo	211
V.	De metro Cratineo	212
VI.	De choriambico dicto polyschematisto	213
VII.	De epionico dicto polyschematisto	214
VIII.	De versibus asynartetis	214
IX.	De versu Saturnio	219
X.	De versibus secundum antipathiam compositis	224
XI.	De numeris concretis	226
XII.	De compositione numerorum	231
XIII.	De orthio, trochaeo semanto, paeone epibato	236
XIV.	De strophis	237
XV.	De generibus stropharum	239

Cap.		pag.
XVI.	De strophis primi et secundi generis	242
XVII.	De strophis tertii et quarti generis	250
XVIII.	De stropharum in membra sua distributione	257
XIX.	De usu stropharum summatim	271
XX.	De responsionibus metrorum in diverbiis	275
XXI.	De parabasi	277
XXII.	De carminibus choricis	280
XXIII.	De systematis antistrophicorum	285
XXIV.	De interpellatione antistrophicorum	292
XXV.	De canticis solutis	297

LIBER I.

CAP. I.

De numero.

§. 1.

Doctrina metrica est scientia metrorum. Metrum est series temporum certam mensuram habentium.

§. 2.

Numerus est ordinata successio temporum. Ei in spatio respondet symmetria, quae est spatiorum ordinata continuitas. Itaque numeri propria sunt tempora, eorumque successio; symmetriae, spatia, eorumque continuitas. Commune amborum ordo est, qui est dispositio ad legem aliquam facta.

§. 3.

Eam legem necesse est obiectivam esse, i. e. in ipsa successionis et continuitatis natura positam, quia subiectiva lex, i. e. quae e sensu animadvertentium penderet, quoniam sibi non constaret, ne haberi quidem pro lege posset. Esse autem legem aliquam obiectivam et numeri et symmetriae, ex eo apertum est, quod quae temporum spatiorumve descriptio habeat numerum symmetriamve, pariter omnes sine dissensu sponte intelligunt.

§. 4.

Eandem legem etiam formalem esse necesse est, i. e. in solis temporibus spatiisque conspicuam; non materialem, sive in rebus, quae sibi succedunt vel loci continuitate comprehenduntur, sitam, ut in vocibus vel corporibus, quia in numero symmetriaque non quid sibi succedat coagmentatumve sit, sed, quidquid id sit, qua lege succedat coagmentatumve sit, spectatur.

§. 5.

Denique innatam nobis eam legem esse necesse est, i. e. a priori certam, ut philosophi loquuntur, quia non discendo, sed per se cognoscitur. Nam si empirica esset, i. e. condita ab aliquo, non esset nota, nisi qui eam didicisset; possetque et mutari et abrogari.

§. 6.

Caussa obiectiva successionis efficientia est. Nam quidquid per se sibi succedit, ita ut, quod prius est, non possit etiam posterius esse; quod autem posterius, non etiam prius: id efficientia continetur, quae est caussarum atque effectuum connexio. Caussa obiectiva continuitatis cohaerentia est. Quidquid enim per se continuum est, ita ut partes eius non alia iuxta aliam posita sit, quod fieri non potest nisi vacuo aliquo spatio relicto, sed ut omnes unum spatium totum impleant: id cohaerentia continetur, quae est perpetuata per partes omnes unitas. Itaque hactenus numerus est series caussarum atque effectuum; symmetria, series partium cohaerentium. Partes autem et cohaerentiam quum dicimus, in hac omni disputatione ea tantum, quae spatio continentur, volumus intelligi.

§. 7.

Quoniam in numero symmetriaque non materia, i. e. res quae sibi succedunt coagmentataeve sunt, sed forma, i. e. sola tempora et spatia spectantur: tempora autem ipsa non

aliud ex alio nascuntur, nec spatia ipsa alia aliorum partes sunt: descriptiones eorum ita comparatas esse necesse est, ut ipsae per se imaginem exhibeant rerum efficientia vel cohaerentia copulatarum. Itaque iam numerus est imago efficientiae per tempora repraesentata; symmetria autem, imago cohaerentiae repraesentata per spatia.

§. 8.

Non potest autem aliter in ipsis temporibus spatiisque expressa apparere imago aliqua efficientiae vel cohaerentiae, nisi temporibus spatiisque ea proportione descriptis, quae vel inter caussas atque effectus, vel inter partes cohaerentia copulatas est. Ea proportio autem in aequalitate posita est. Nam neque caussa effectu, neque effectus caussa aut maior aut minor esse potest. Quum enim omnis mutatio, qua cernitur effectus, ex conflictu virium oppositarum oriatur; aequales autem vires sibi oppositae se ipsae cohibeant, nec fieri mutationem patiantur: necesse est, oppositis inaequalibus viribus, tantum superari alteram, quantum altera superat: qua lege nititur omnis mechanica, quae vocatur. Quod si saepe effecta caussis vel maiora vel minora videntur, id eo fit, quod vel rerum diversitas comparationem non admittit, vel virium incrementa atque impedimenta latent. Vnde quae nascitur miratio, simul et ignorantiam nostram, et necessitatem, qua effecta requirimus caussis aequalia, comprobat. Itaque numerus est efficientia per aequalitatem temporum repraesentata. Eodem modo corporum cohaerentia aequalitate nititur. Nam quum cohaerentia sit communio partium, commune autem sit illud, quod in omnibus partibus idem sibique par est: necessarium est, ut cohaerentia, quae sola corporum figura, i. e. spatiorum descriptione exprimatur, commune illud in comparatione aequali spatiorum habeat. Itaque symmetria cohaerentia est per aequalitatem spatiorum repraesentata.

§. 9.

Ita universa numeri symmetriaeque natura definita, quum de singulis numeris figurisque symmetricis loquimur, numerus

est imago seriei effectuum, expressa per aequalitatem temporum; symmetria autem, imago seriei cohaerentium partium, spatiorum aequalitate expressa.

CAP. II.

De arsi, thesi, et anacrusi.

§. 10.

Demonstratum est, primariam numeri symmetriaeque legem in aequalitate temporum spatiorumque positam esse. Sed etsi sine hac aequalitate nec numerus cogitari potest, nec symmetria, tamen qui numerus, quaeve symmetria hac sola temporum spatiorumque aequalitate continetur, pars est seriei infinitae, neque aut initium aut finem habet. Vt numerus, qui fit percussionibus tintinnabuli, quibus in horologio horae numerantur; vel symmetria, quae est in serie arborum, altitudine, forma, intervallis parium. Quali in numero symmetriave apertum est, nihil ita aut primum aut postremum esse, quin aut addi aliquid, aut detrahi queat, nullo numeri symmetriaeve detrimento.

§. 11.

Quod si quis est numerus, aut si qua symmetria, quae non sit infinita, quales numeros symmetriasve inveniri experientia docet, aliquid in ipsis esse, quod absolutum sit, necesse est. Est autem in serie caussarum ea caussa absoluta, quae non est effecta ab alia caussa, sed aliarum ipsa efficiens; in partium comprehensione autem ea pars absoluta est, quae non est propterea pars, quia eiusdem rei etiam aliae sunt partes, sed propter quam illae sunt, i. e. cuius illae ipsius partes sunt.

§. 12.

Sed quoniam nulla est caussa, quae non effecta sit ab alia caussa, nullaque res partes habens, quae non ipsa quo-

que pars sit alius rei: apparet, relativam esse notionem caussae partisque absolutae, i. e. talem eam caussam partemque intelligi, quae non per se absoluta sit, sed tantum, quod ad datam aliquam seriem caussarum vel complexionem partium attinet, habenda sit pro absoluta, quia, quo eam niti dicamus, in ipsa ista serie caussarum vel complexione partium non reperiatur, sed aliunde sit repetendum. Vt si sagitta in saxum illisa repellitur, saxum illud, quod ad motum sagittae attinet, caussa absoluta mutati motus est, quia lex illa, qua sagitta ab arcu emissa movetur, non potest caussam continere, quare alia lege ea sagitta moveatur. Et in serie arborum aequalium aequalique comparatione dispositarum si una arbor magnitudine ante ceteras eminet, ea arbor, quod ad seriem illam arborum attinet, pars est absoluta, quia in illa aequali arborum comparatione nihil esse potest, quod unam earum aliam esse postulet.

§. 13.

Quod si in numeris invenitur aliqua caussa absoluta, eam talem esse necesse est, quae tantummodo tamquam caussa, non etiam tamquam effectus appareat. Atqui caussa, quae tantummodo caussa est, nihil est nisi vis aliquid efficiens. Itaque caussa absoluta in numeris vi quadam exprimenda contineatur necesse est, quae seriem aliquam temporum incipiat. Id autem, quo exprimitur ea vis, non potest non in fortiore notatione alicuius unius temporis positum esse: idque ictum vocamus. Est ergo ictus vis maior in notando aliquo tempore, caussam seriei temporum absolutam indicans. In symmetria autem si qua pars absoluta invenitur, eam talem esse necesse est, ut eam illud esse, cuius cetera partes sint, non etiam ipsum esse aliquam unam ex partibus, appareat. Atqui id, cuius alia partes sunt, unitas est, ad quam illa omnia referuntur. Itaque pars absoluta in symmetria unitate aliqua exprimenda continetur, ad quam omnes spatiorum descriptiones relatae totum quid efficiant. Id autem, quo exprimitur ea unitas, non potest non in puncto esse eo positum, quod pariter toti

spatiorum descriptioni commune est: idque punctum est medium, quod *centrum* vocatur. Est ergo *centrum* punctum unicum in aliqua descriptione spatiorum, totius descriptionis unitatem continens.

§. 14.

Caussa absoluta initium est numeri: pars absoluta, medium figurae symmetricae. Finem numeri vero, terminosque figurae non licet notionibus ex ipsa numeri symmetriaeque natura petitis definire, quia hoc totum experientiae est. Sed et numerorum et figurarum symmetricarum duo genera sunt, unum simplex ut in numeris hi,

⏑́⏑,   ⏑́⏑⏑,   ⏑́⏑⏑⏑,

in figuris symmetricis, circulus, pyramis, quadratum; alterum compositum ex eiusdem numeri vel figurae iteratione, ut in numeris hi,

–́⏑–⏑ | –́⏑–⏑ | –́⏑–⏑ | –́⏑–⏑

in figuris pyramidum, columnarum, arborum certis proportionibus dispositarum vicissitudines. In his omnibus regula cernitur empirica vel arbitrio constituta, una parte pro norma sumpta. Vnde si extrema pars dissimilis est, nunc deesse aliquid, nunc superare existimatur.

§. 15.

Illud tempus, in quo ictus est, *arsin*; ea tempora, quae carent ictu, *thesin* vocamus, exemplo R. Bentleii, quod firmari videtur auctoritate Prisciani p. 1289. et Martiani Capellae p. 191. ed. Meibom. Ceteri metrici cum musicis veteribus thesin vocant, quam nos arsin; arsin, quam nos thesin. Omninoque alio modo his nominibus utuntur, cuius ratio, coniuncta illa cum doctrina musica, perobscura est.

§. 16.

Potest ictus, qui indicium est caussae absolutae, etiam ad seriem iam inchoatam accedere, ut

⏑⏑́⏑

Quod quum fit, tempus illud, in quo est ictus, quia cohaeret cum praegresso tempore, natum ex illo habetur, atque eatenus caret ictu, et theticum tempus est; sed idem tempus accedente vi absoluta, cuius indicium ictus est, simul arsis fit, et caussa atque initium sequentium temporum: eo modo, quo quum corpus, quod in motu est, nova vi pellitur, ea vis non incipit motum, sed coeptum auget. Illud autem tempus, illave tempora, quae praecedunt arsin, apparet partes esse seriei ab initio infinitae. Ea tempora *anacrusin* vocamus. Similiter in figuris describi possunt, quarum extremitates nulla sint linea terminatae: quae proinde infinitae sunt. Est autem anacrusis natura sua thesis, i. e. tempus non ex absoluta caussa, sed ex aliis praegressis temporibus natum. Sumendum est enim, praegressa esse alia tempora, quia, quod non ex absoluta caussa nascitur, in infinitum ex aliis deinceps caussis natum esse necesse est. Ceterum tempora quum ex temporibus nasci dicimus, brevitatis caussa ita loquimur, translato verbo a caussis atque effectibus ad tempora, quae horum imagines sunt.

CAP. III.

De ordinibus.

§. 17.

Numerus aut infinitus est, qui totus ex theticis temporibus constat, qualis numerus quia varietate caret, in artibus, quae numeris utuntur, nullum habet usum; aut finitus est, qualis est, qui arsin habet. Huiusmodi numerum *ordinem* vocamus.

§. 18.

Ordines aut *simplices* sunt, qui aut in sola arsi consistunt, ut

⏑́,

aut ex arsi et thesi constant, ut

⏑́⏑, ⏑́⏑⏑,

alii **periodici**, qui ex pluribus ordinibus uno numero comprehensis, i. e. ex una communi caussa ortis compositi sunt. Nam ut singulorum temporum successione, ita etiam successione integrorum ordinum series caussarum atque effectuum repraesentari potest, servata lege aequalitatis, ut, quemadmodum in simplicibus ordinibus singula tempora, sic in periodicis ordines singuli sibi pares sint, ut

⏑́⏑ ⏑́⏑, ⏑́⏑⏑ ⏑́⏑⏑.

§. 19.

Eodem modo, ut arsis a thesi maiori vi caussam absolutam indicante distinguitur, etiam prima ordinum periodicorum arsis, ut quae caussam absolutam insequentium arsium contineat, fortior illis est. Nam quaeque insequentium arsium absoluta est, quod attinet ad eum ordinem, eosve ordines, qui ex ipsa nascuntur; non absoluta, quod attinet ad praecedentem arsin, cuius ipsa effectus est.

§. 20.

Hinc fit, ut arsis in eo ordine, cuius ipsa principium est, mutare aliquid possit, isque ordo, quatenus ab sua arsi pendet, exemptus sit lege illa aequalitatis. Potest autem cohibere se vis illa, cuiusmodi ordines **imminutos** vocamus; ut

⏑́⏑⏑⏑́, ⏑́⏑̇⏑⏑́⏑,

ex quo genere sunt, qui catalectici numeri et logaoedici appellantur. In his quae arsis mutat ordinum conditionem, etsi non fortior est prima arsi, nec potest fortior esse, ut quae ex illa nata sit, tamen ne cohibere quidem sese posset, nisi peculiari quodam renisu. Hinc, qui diligenter attenderit, facile videbit, etsi non fortiorem, at singulari tamen vi praeditam esse arsin ordinum periodicorum eam, quae mutat ordinum conditionem, ut postremam arsin in his numeris,

–́⏑⏑–⏑⏑–, –́⏑⏑–⏑⏑–⏑,

et tertiam in hoc

–́⏑⏑–⏑⏑–⏑–⏑.

§. 21.

Potest vero etiam increscere vis arseos in ordinibus periodicis: sed hoc quum fit, ea arsis, quae fortior est praecedente, maioremque ex se ordinem procreat, nihil est nisi nova et non ex praegressa arsi nata caussa absoluta, incidens in arsin secundariam praegressi ordinis; hoc modo:

⏑́⏑⏑́
    ⏑́⏑⏑:

quibus ordinibus coniunctis numerus nascitur hic,

⏑́⏑⏑́⏑⏑

quem apparet non posse proferri, nisi fortius expressa secunda arsi, ut quae non sit nata ex ea, quae praegressa est: v. c.

rex Olympie caelicola –́⏑–́⏑⏑–́⏑⏑⏑

quod contra inversis ordinibus decrescit vis arsium et imminuitur, ut ex una arsi natarum:

pinifer Olympus et Ossa. –́⏑⏑⏑–⏑⏑–⏑

Hos ordines periodicos, in quibus nova arsis accedit, numeros concretos vocamus: de quibus vid. Elem. d. m. p. 644. seqq.

§. 22.

Notamus autem in ordinibus periodicis iis, qui aequales vel imminutos ordines habent, primam tantum arsin ictu: in concretis autem etiam novam illam arsin. Ceterum observandum est, descriptionem numeri talem,

–́⏑ –́⏑⏑ –́⏑⏑⏑

dupliciter intelligi posse. Nam aut ordo periodicus est ex concretis numeris,

–́⏑–
    –́⏑⏑–
        –́⏑⏑⏑,

in quo primi duo ordines ultra thesin suam progrediuntur, aut compositus est ex ordinibus simplicibus, qui non cohaerent,

–́⏑, –́⏑⏑, –́⏑⏑⏑.

§. 23.

Tempora ordinum, quae in thesi sunt, omnia necesse est aequalia esse, quia seriem repraesentant caussarum atque effectuum nulla aliena accessione interruptam.

§. 24.

Eadem est anacruseos temporum ratio, quod haec nihil a thesi differt, nisi quod arsin ante se nullam habet.

§. 25.

Quod in arsi est tempus, non potest brevius esse temporibus anacruseos, quia arsis anacrusin sequens pars est seriei eius, cuius etiam anacrusis pars est. Itaque pravus foret hic numerus,

— ⏑́

iusti autem sunt hi,

⏑ ⏑́, — —́.

§. 26.

Non magis theticis temporibus brevior esse arsis potest. Quoniam enim caussa est horum temporum, non potest minor esse effectis. Quare pravus est hic numerus,

⏑́ —

recte se habent hi,

⏑́ ⏑, —́ —.

§. 27.

Maiorem vero arsin anacrusi esse non repugnat. Nam quatenus arsis ab absoluta caussa nascitur, exempta est lege illa aequalitatis, dum ne, quatenus effectum est praecedentium temporum, his minor sit. Recti ergo sunt hi numeri,

⏑ —́, ⏑ ⏑ —́.

§. 28.

Nec repugnat, theticis temporibus maiorem esse arsin. Potest enim ita comparata esse, ut non tota, sed aliqua tan-

tum parte sua thesin procreet: quae pars omnino par esse theticis temporibus debet, hoc modo:

⏑́⏑, ⏑́⏑⏑, ⏑́⏑⏑⏑

⏑́ | ⏑   ⏑́ | ⏑   ⏑́ | ⏑

Sic moles minore, quam opus est, fundamento sustineri nequit: maiore, quam opus est, recte sustinetur.

CAP. IV.

De mensura.

§. 29.

Mensuram dicimus temporum inter se comparationem sine numero. Ac metrici duabus tantum mensuris utuntur, simplici, quam Graeci *χρόνον* et *σημεῖον*, Latini **tempus** et **moram** vocant, et duplici. Musici veteres etiam quadruplici et octuplici mensura utebantur: v. Aristid. Quintil. p. 36. Plures etiam mensuras hodierna novit musica. De triplici in metris dicetur §§. 199. et 445.

§. 30.

Pes musicis et rhythmicis, plerumque etiam metricis, ita dicitur, ut etiam numerum spectent. Nos pedem vocamus certam temporum compositionem sine numero.

§. 31.

Vsitatissimi pedes hi sunt: bisyllabi quattuor:

⏑⏑ pyrrhichius,

–– spondeus,

⏑– iambus,

–⏑ trochaeus, interdum choreus;

trisyllabi octo:

⏑⏑⏑ tribrachys, sive choreus,

––– Molossus,

⏑⏑– anapaestus,
–⏑⏑ dactylus,
⏑–⏑ amphibrachys,
–⏑– Creticus, sive amphimacer,
⏑–– Bacchius, aliis palimbacchius, hypobacchius,
––⏑ palimbacchius, aliis Bacchius;

quadrisyllabi sedecim:

⏑⏑⏑⏑ proceleusmaticus,
–––– dispondeus,
⏑–⏑– diiambus,
–⏑–⏑ ditrochaeus,
⏑––⏑ antispastus,
–⏑⏑– choriambus,
⏑⏑–– Ionicus a minori,
––⏑⏑ Ionicus a maiori,
–⏑⏑⏑ paeon primus,
⏑–⏑⏑ paeon secundus,
⏑⏑–⏑ paeon tertius,
⏑⏑⏑– paeon quartus,
⏑––– epitritus primus,
–⏑–– epitritus secundus,
––⏑– epitritus tertius,
–––⏑ epitritus quartus.

Vide de his Gaisfordium ad Hephaestionem.

§. 32.

Dipodiam et syzygiam metrici vocant pedum duorum coniunctionem. Syzygiam Aristides p. 36. ex duobus simplicibus, i. e. disyllabis vel trisyllabis pedibus, sed iis imparibus fieri dicit. Eam dipodiam vocat Atilius Fortunatianus p. 2688., syzygiam ex duobus simplicibus, sed paribus pedibus fieri dicens. Plerumque dipodiam duos disyllabos, syzygiam duos trisyllabos, vel disyllabum et trisyllabum coniunctos dicunt. Saepe etiam duorum pedum coniunctionem basin vocant: v. Diomed. p. 501. Mar. Vict. p. 2489.

Item metrum; unde dimetri, trimetri, tetrametri, pentametri, hexametri versus, qui quattuor, sex, octo, decem, duodecim pedibus constant, nisi in dactylicis numeris, in quibus singuli pedes metra numerantur.

§. 33.

Anceps mensura, sive ἀδιάφορος, dicitur, quae nihil interest longa an brevis sit: de qua dicetur infra. Irrationalis mensura, sive ἄλογος, ea vocatur, quae brevior longa: longior brevi est. Argutantur in hac Aristides p. 45. et scholiastes Hephaestionis p. 78. Vsum ea habet in quibusdam numeris dactylicis, tum in comicorum iambis trochaeisque.

CAP. V.

De permutatione numerorum.

§. 34.

Numeri natura sua immutabiles sunt. Non possunt enim caussam in se continere, quare etiam alii sint, quam sunt. Quod si permutantur quidam numeri, arbitrio id fit utentium numeris, sed eo idoneam rationem secuto. Nam et pares esse debent, qui permutantur numeri, i. e. eiusdem mensurae; et similes, i. e. qui modica cum variatione idem efficere videantur.

§. 35.

Permutantur numeri his modis. Primo per receptionem temporum irrationalium. Id videtur fieri in numeris quibusdam trochaicis, disyllabam thesin vel anacrusin pro monosyllaba admittentibus, quales sunt trimetri comicorum Graecorum; Latinorum, antiquiorum quidem, omnes versus trochaici atque iambici: in quibus dactylus et anapaestus pro trochaeo et iambo positi, duas breves syllabas propemodum uni brevi, quae iusta mensura sit, pares habent.

§. 36.

Secundo per solutionem arseos vel contractionem theseos, quorum alterum in trochaicis, alterum in dactylicis numeris fieri solet:

–́⏑   –́⏑⏑

⏑́⏑⏑   –́–

§. 37.

Tertio per solutionem arseos coniunctam cum theseos contractione. Quod fit in dactylicis iis, qui anapaesti vocantur. In quibus non solum hi tres permutantur numeri,

–́⏑⏑

–́–

⏑́⏑⏑⏑

sed accedit etiam coniunctio secundi et tertii,

⏑́⏑–

quae legi numerorum repugnatura esset, nisi simul duo diversi numeri perciperentur, quorum utriusque dimidiata tantum pars sonis, syllabis, motibus exprimitur, dimidiata autem tacita observatione notatur, quemadmodum in hodierna musica tactus, quem vocant, simul percipitur cum numeris sonorum musicorum, licet diversissimis. Hoc modo dico:

καπ   –́   κατ   –́   και   –́   θα   –́
⏑⏑   πεσε   ⏑⏑   θανε   ⏑⏑   κατα   ⏑⏑   ψομεν.

§. 38.

Quarto per transpositionem temporis. Quod fit in dactylicis iis, qui choriambi et Ionici vocantur, parte theseos vel anacruseos recisa, et ante arsin anacruseos vel theseos loco collocata, hac forma:

–́⏑⏑   –́⏑⏑   –́ | ⏑⏑–

⏑–́⏑   ⏑ | –́⏑   ⏑–́ | ⏑–́

Vnde ancipitibus notatis hae formae prodeunt:

–́ ⏑ ⏑ –	choriambi
⏒ –́ ⏑ –	
–́ | –́ ⏑ ⏑	Ionici a maiori
–́ ⏒ | – ⏑	
⏑ ⏑ –́ | –́ | ⏑ ⏑ –́ | –́	Ionici a minori
⏑ ⏑ –́ | ⏒ –́ | ⏑ –́ | –́	

§. 39.

Quinto per transpositionem partis numeri. Quod fit in versibus Glyconeis, quorum usitatiori formae,

∴ ∴ | –́ ⏑ ⏑ – | ⏑ –́

ultimo ordine ante praecedentem collocato, et in trochaeum mutato, haec forma substituitur:

∴ ∴ | –́ ⏑ | –́ ⏑ ⏑ –

CAP. VI.

De versibus et systematis.

§. 40.

Versus numerus est ex uno vel pluribus ordinibus factus. Partes versuum *κῶλα*, si ex integris syzygiis constant; *κόμματα*, si non ex integris, vocant grammatici, sed parum sibi constantes. Videndi de his aliisque parum utilibus distinctionibus Hephaestio p. 65. (116) et Marius Victorinus p. 2497. seq.

§. 41.

Numeri cuiusque versus continui sunt: itaque perpetuitas orationis non debet interrumpi hiatu illicito, syllabave ancipiti non iusto loco admissa.

§. 42.

Versus asynarteti, quos non accurate definiunt metrici, ii sunt, quorum partes, ut libitum est poetis, nunc servata, nunc neglecta perpetuitate orationis coniunguntur, hiatu et syllaba ancipiti admissis, ut apud Horatium epod. XI. XIII.

fervidiore mero arcana promorat loco.
levare duris pectora sollicitudinibus.

§. 43.

Versuum polyschematistorum appellatio, male explicata a metricis, in eos versus quadrat, quos §. 37. per transpositionem partis numeri mutabiles diximus.

§. 44.

Catalexis vocatur detractio unius vel plurium temporum in fine versus. Rationem finiendorum versuum ἀπόθεσιν metrici appellant.

§. 45.

Versus acatalecti dicuntur, quorum ordines integri sunt: ut iambici trimetri,

⏑–́⏑– | ⏑–́⏑– | ⏑–́⏑–.

§. 46.

Versus catalectici sunt, quibus una syllaba deest, ut in trimetro,

⏑–́⏑– | ⏑–́⏑– | ⏑–́⏑

In dactylicis numeris, si una syllaba ultimo pedi deest, catalectici in disyllabum vocantur, ut

–́⏑⏑–⏑⏑–⏑;

sin duae, catalectici in syllabam, ut

–́⏑⏑–⏑⏑–.

§. 47.

Brachycatalecti dicuntur, quorum ultimae dipodiae integer pes deest, ut

⏑–́⏑– | ⏑–́⏑– | ⏑–́

§. 48.

Hypercatalecti vocantur, quibus superat una syllaba, ut

◡–́◡– | ◡–́◡– | ◡–́◡–◡

Quibus si, quod deest ad integrum pedem, additur, brachycatalecti fiunt,

◡–́◡– | ◡–́◡– | ◡–́◡–◡–

Sic enim rectius describuntur, tribus pedibus uno ordine comprehensis, quam uno.

§. 49.

Systema dicitur plurium versuum perpetuata coniunctio, iisdem conditionibus adstricta, quibus ordines in versum coniunguntur.

CAP. VII.

De numeri musici cum metrico coniunctione.

§. 50.

Musica quum et plures, quam duas mensuras, et numerorum maiorem variationem admittat, quam metrica, quae ad solam recitationem versuum spectat, necessarium est, versuum numeros cantu nonnihil mutari. Quarum mutationum indicia, deficientibus scriptorum ea de re testimoniis, ex ipsa metrorum conformatione, difficultates quasdam aliter non explicabiles obiicientium, colliguntur. Detecta est autem hucusque triplex numeri musici cum metrico coniunctio, per mensuram metrica maiorem, per pausam, per paracatalogen.

§. 51.

Mensuram metrica maiorem exhibent trochaei semanti, qui e duabus longis syllabis constantes, priorem octo, posteriorem quattuor temporum habent, eaque re integri ex pluribus pedibus membri officio funguntur. Eo fortasse etiam paeonici numeri referendi sunt, de quibus v. §. 445.

§. 52.

Pausa fit interdum in medio numero musico: quae quum faciat, ut et hiatus et syllaba anceps admittatur, finiri eo loco versum postulat. Vt apud Pindarum Ol. VI. 5 (7). ubi quum numeri hi sint,

––́⏑–́––́⏑⏑–⏑⏑–⏑
–́⏑–́––́⏑–́––́⏑·–́–
–́⏑⏑–⏑⏑–⏑

post primam secundi versus syllabam pausa fit; unde versus ita distinguendi sunt:

Βωμῷ τε μαντείῳ ταμίας Διὸς ἐν Πίσᾳ,
συνοικιστήρ τε τᾶν κλεινᾶν Συρακοσ-
σᾶν, τίνα κεν φύγοι ὕμνον.

§. 53.

Paracataloge, cuius mentionem faciunt Aristoteles Problem. IX. 6. et Plutarchus de musica p. **1140**. F. et **1141**. A. quibuscum conferendus Hesychius in v. *καταλογή*, remissio est numeri ad incertos communis sermonis numeros accedens, quam nostri musici genus canendi recitativum vocant.

§. 54.

Ea duabus in rebus cernitur, in remissione celeritatis in fine quorumdam numerorum, ut dochmiacorum et Glyconeorum; unde hi spondeum in locum finalis iambi recipiunt.

§. 55.

Deinde in solutione totius numeri, quod fit plurium brevium syllabarum ad quosdam numeros adiectione: ut ad dochmiacos. Hae res omnes suis locis explicabuntur.

CAP. VIIII.

De caesura.

§. 56.

Oratio ipsa per se numerum habet, quia sine numero neque syllabae in voces, neque voces in complexiones verborum coniungi, et ab se invicem distingui possent. Quamobrem oratio versibus comprehensa ita moderanda est, ut ipsius numeri cum numeris versuum congruant, neque alter numerus alterum tollat. Id fit caesura, syllaba ancipiti, prosodia.

§. 57.

Caesura sive incisio, quam Graeci τομὴν vocant, is locus in versu est, ubi ordo aliquis finitur. Itaque proprie tot caesuras habet versus, quot ordines, nisi quod ultimi ordinis finem, qui simul finis est totius versus, caesuram dici non posse apparet.

§. 58.

Versu per verba expresso caesura appellatur finis numeri, qui in verbis est, in finem ordinis metrici incidens. Ac plerumque non cuiuscumque metrici ordinis, sed unius, cuius finem praecipue notari par est, terminatio fine sententiae vel vocabuli facta intelligitur.

§. 59.

Quod si in medio versu numerum verborum simul cum metrico numero finiri convenit, apertum est multo magis id fieri debere in totius versus fine. Quare versus integro vocabulo finiri par est.

§. 60.

Caesura necessaria est, quae maiorem pausam requirit, quam ut sine totius numeri dispendio negligi possit. Qualis

caesura si quando negligitur, certe curatur, ut id a vocabulo composito aliquid excusationis habeat, ut apud Callimachum fragm. 192.

ἱερὰ νῦν δὲ Διος | κουρίδεω γενεή.

Non necessaria est, qua neglecta non evertitur numerus metricus.

§. 61.

Caesura **mutabilis** est, ubi ordines non uno modo describi possunt, ut in hexametro heroico, et trimetro iambico; **immutabilis**, ubi non nisi una ratio est ordinum distinguendorum, ut in pentametro elegiaco.

§. 62.

Caesura **adscita** est, quae novum introducit numerum, sed eum talem, qui cum proprio versus numero conciliari possit, ut in versu heroico, quum ultima syllaba, quae thesis est, per vocem monosyllabam, eamque vi quadam praeditam, in arsin mutatur:

γαῖαν ὁμοῦ καὶ πόντον· ὀρώρει δ' οὐρανόθεν νύξ.

Et in iambico trimetro:

⏑´⏑– | ⏓´⏑ | ´⏓ | ´⏑–

οἷόν τέ μοι τάςδ' ἐστί· θνητοῖς γὰρ γέρα.

§. 63.

Aliud genus adscitae caesurae illud est, quo incisione vel paullo ante finem versus, vel paullo post initium sequentis versus facta, nunc prioris versus reliqua pars cum sequente versu, nunc prima pars posterioris versus cum praecedente versu continuatur, ut in iambico trimetro apud Sophoclem Oed. R. 29.

ὑφ' οὗ κενοῦται δῶμα Καδμεῖον, | μέλας δ'
Ἅιδης στεναγμοῖς καὶ γόοις πλουτίζεται.

et in Oed. Col. 1164.

σοί φασιν αὐτὸν ἐς λόγους ἐλθεῖν μολόντ'
αἰτεῖν, | ἀπελθεῖν τ' ἀσφαλῶς τῆς δεῦρ' ὁδοῦ.

§. 64.

Non recte quidam caesuram vocant terminationem vocabuli in medio pede maximeque in arsi. Vt quum caesurae vi breves syllabas produci aiunt, quod quale sit, infra dicetur.

CAP. IX.

De syllaba ancipiti.

§. 65.

Syllaba anceps sive ἀδιάφορος ea est, cuius mensura nihil refert utrum longa sit an brevis. Apertum est autem, quoniam per numerum nulla mensura ambigua est, ad verba hanc totam doctrinam pertinere, quorum nunc aliqua longa syllaba pro brevi, nunc brevis pro longa numeretur.

§. 66.

Id non potest nisi in iis numerorum locis fieri, in quibus pravitas mensurae facile delitescit. Eiusmodi loci duo sunt, anacrusis ex una brevi syllaba, quam quoniam nihil praecedit, ad quod comparari possit, norma deficiente non offendimur longa syllaba pro brevi posita: deinde ultima ordinum syllaba, sive ea arsis sive thesis sit, quam quia nihil sequitur, quod eius diuturnitatem definiat, non offendimur, si pro brevi longa, aut pro longa brevis posita est, quum omnino in fine pausam fieri necesse sit. Sed in ultima ordinum syllaba plures regulae notandae sunt.

§. 67.

Ac primo apertum est, ordinum finem intelligi eum, quo ipsa totius numeri perpetuitas finitur. Quare in periodicis ordinibus non cuiusvis ordinis, ex quo ordo periodicus compositus est, sed ultimi tantum ultima syllaba anceps est. Hinc in trochaicis versibus, qui per dipodias incedunt, secundus

trochaeus, in ithyphallico versu autem, qui est ex ordine periodico tres trochaeos complectente, tertius tantum ancipitem admittit.

§. 68.

Deinde simul is numerus spectandus est, qui in verbis ipsis est: unde aliae syllabae ancipites tantum in fine versus, aliae etiam in medio versu, et hae quidem aut in solo fine vocabuli, aut etiam in medio vocabulo locum inveniunt.

§. 69.

Ac totius versus syllaba finalis, quae simul finalis vocabuli est, omnimodo anceps est, utroque numero, et metrico, et eo, qui in verbis est, in ea desinente.

§. 70.

In medio versu medioque in vocabulo anacrusis vel ultima thesis numerorum trochaicorum et ultima thesis membrorum ex epitritis Doricis constantium anceps est:

Διοςδότοις σκήπτροισι τιμαλφούμενον,
μή μιν, ὦ Μοῖσαι, φυγόξενον στρατόν.

Nam in dactylicis aliisve ordinibus thesin plurium syllabarum habentibus prorsus impediretur decursus numeri admittenda syllaba ancipiti.

§. 71.

In medio versu, sed in fine tantum vocabuli arsis dactylicorum ordinum, et thesis spondiaca quarti pedis in versu heroico syllabam ancipitem recipiunt.

ἐκπέρσαι Πριάμοιο πόλιν, εὖ δ' οἴκαδ' ἱκέσθαι.
τῇ δ' ἔπι μὲν Γοργὼ βλοσυρῶπις ἐστεφάνωτο.

Et arsis quidem illa tum propter vim suam, tum propter finem numeri, qui in ipso verbo inest; thesis autem propter gravem caesuram eo in loco, finiente simul et metrico et vocabuli numero. In trochaicis numeris arsis non admittit syllabam ancipitem, tum quod debilior est, tum quod hos

numeros, qui solutiones multas recipiunt, impeditos reddituru esset.

§. 72.

Raro Homerus etiam thesin spondiacam in mediis vocibus ancipitem esse passus est. De qua re in versu heroico videbimus.

§. 73.

Syllaba anceps, quae per numeri legem pro brevi habenda est, non potest iu duas breves solvi, quia quum longa est, non est ex numeri lege longa, sed pro brevi numeratur: nam repugnat, longam, quae non sit longae loco, parem esse duabus brevibus.

CAP. X.

De prosodia.

§. 74.

Per prosodiam metrico numero numeri orationis aptantur commoditate metri, accentu vocabulorum, vocis intensione, interpunctione.

§. 75.

Metri commoditas posita est in productionibus et correptionibus propter metrum, in hiatu, in elisione, in crasi, in synizesi.

§. 76.

Multo frequentior apud Graecos productio propter metrum, quam correptio est. Vsurpatur ea maxime in versu heroico, et praecipue in vocibus multas breves syllabas habentibus, quae aliter aptari metro non possunt. Producitur autem maxime prima tantum horum verborum syllaba et qui-

dem in arsi metrica, tum per ipsius metricae arseos vim, tum quod initium vocabuli arsin habet etiam numeri, qui in ipso vocabulo est. Cuiusmodi verba sunt *ἐπίτονος*, *θυγατέρες*, *ἀπονέεσθαι*, *ἀκάματος*, *ἀθάνατος*, quod postremum vocabulum inde apud Atticos legitimam accepit primae syllabae productionem. Sic etiam in compositis non quaevis, sed aut prima posterioris vocis syllaba, ut in *ἐξαπονέεσθαι*, aut ultima prioris in arsi metrica producitur, fine numeri, qui in vocabulo est, et vi arseos metricae productionem adiuvante, ut Iliad. τ. 35. Odyss. κ. 169

μῆνιν ἀποειπὼν Ἀγαμέμνονι, ποιμένι λαῶν.
βῆν δὲ καταλοφάδεια φέρων ἐπὶ νῆα μέλαιναν.

Etsi in his exemplis fortasse digamma, vel duplicatio litterae liquidae, qua saepe utuntur epici, aliquid ad producendi facilitatem contulit.

§. 77.

Correptiones fere necessitati debentur, tum in nominibus propriis aliter metrum non ingredientibus, *Ἀθέναθεν*, *Θουκυδίδης*, *Ῥουφίνιος* secundis syllabis correptis, vel *Ἐλευσίνιος* tertia, vel praegressae nomen proprium syllabae, ut

οἱ δὲ Ζάκυνθον ἔχον,
ἔσται ταῦτα, Σκάμανδρε διοτρεφές, ὡς σὺ κελεύεις.
Χαλκίδα τ', Εἰρετρίαν τε, πολυστάφυλόν θ' Ἱστίαιαν,

tum in aliis necessariis vocibus, ut ante *σκέπαρνον*, Odyss. ε. 237. ι. 391. vel extrita littera, ut in *τύπανον*, vel etiam negligentia quadam, ut apud Hesiodum O. et D. 589.

εἴη πετραίη τε σκιὴ καὶ βίβλινος οἶνος,

et apud Comicum citatum Diogeni Laertio II. 108. et Suida in *ῥομβοστωμυλήθρα*:

ἀπῆλθ' ἔχων Δημοσθένους τὴν ῥομβοστωμυλήθραν,

et apud Pindarum Nem. VII. 89.

ξεῖνός εἰμι σκοτεινὸν ἀπέχων ψόγον.

vel dialecti quadam proprietate, ut in vocabulo *ἐσλὸς* apud Dorienses; denique omnino ante duplicem consonantem minus faventem correptioni, ut ante *βλ*, *γλ*, *μν*. Sophocles Oed. R. 717.

παιδὸς δὲ βλάστας.

Aeschylus in Persis 593. et in Agam. 999.

οὐκ ἔτι γλῶσσα φίλοισιν.

τὸν δ' ἄνευ λύρας ὅμως ὑμνῳδεῖ.

Sic ὑμνήσω etiam apud Euripidem Bacch. 71. et εὔυμνος media correpta apud Epicharmum Hephaestionis p. 15. Rhintho vero si quid insolenter posuit, sciens ille pravos versus dedit, ut,

Ἱππώνακτος τὸ μέτρον· οὐδέν μοι μέλει.

Quem versum, citatum ab Hephaestione p. 4 (10) Valckenarius ad Phoeniss. 1508. ex Herodiano MS. profert, non memor editum esse istum Herodiani libellum in Hortis Adon. ubi v. fol. 194. b.

§. 78.

Longa vocalis vel diphthongus apud Graecos ante vocalem corripitur, idque non solum in fine vocabuli, de qua re mox, ubi de hiatu, dicemus, sed etiam in eadem voce, ut in *ποιεῖν τοιοῦτος, γεραιός, δείλαιος, πατρῷος*. Rariora sunt Ἀθήναιος apud Pherecratem citatum Eustathio p. 1456, 52. et φιλαθήναιος apud Aristoph. Vesp. 282. Neque enim in quacumque voce hac licentia utuntur. Quo pertinet θείη Rhinthonis apud Hephaest. p. 4 (10).

§. 79.

Apud Latinos duplex recitatio in usu fuit, una accentum maxime vocabulorum et vulgarem pronuntiationem sequens, qua scenici veteres usi sunt, altera ad Graecorum exemplum conformata, quae ab Ennio primum in epicam poesin, Augusti aevo in omnia fere genera poeseos introducta est. Scenica illa recitatio abundat correptionibus, neque curat positionem, unde *ille*, *atque*, *Philippi*, *iuventutis*, et alia plurima correptis ante duplicem consonantem vocalibus pronuntiantur. Quin etiam vocales longas corripiunt, ubi ultima eliditur, ut *cóncede huc*, *sécede huc*.

§. 80.

Hiatus fit voce in vocalem desinente ante vocem incipientem a vocali. Eum etsi in universum vitare poetis lex est, tamen certis conditionibus admittitur. Apud veteres epicos Graecorum multi videntur magis, quam sunt hiatus, quoniam illi digamma usurpabant, quod in scribendo adiici non solet. Simile apud Latinos est, quod Car. Lingius in Quaestionum Plautinarum libro primo, sive de hiatu in versibus Plautinis, observavit, qui libellus editus est Vratislaviae a. CIƆIƆCCCXVII. saepe apud Plautum vocalem ante nomen *homo* non elidi, quia hoc nomen pleniorem adspirationem habuisse videatur, in quam rem apte commemoravit hodieque servatam ab Italis hanc pronuntiationem, *uomo* dicentibus.

§. 81.

Ac legitimus est et necessarius hiatus in vocibus exclamationi inservientibus quibuscumque et quocumque in genere metri, ut apud Sophoclem in Philoct. 832. in Ai. 194. in Acrisio ap. Stob. Serm. VIII. 2.

ἴθι ἴθι μοι παιών.
ἀλλ' ἄνα ἐξ ἑδράνων.
βοᾷ τις, ὦ ἀκούετ', ἢ μάτην ὑλῶ;

Deinde in iis vocibus, quae elisionem non admittunt, ut *τί ἐστιν; τί οὖν; περὶ ἐμοῦ·* a quibus tamen tragici abstinere videntur. Eo pertinet hiatus, qui fit per genitivos in *αο* et *οιο* terminatos, quorum ultimam non licet elidi. V. diss. de aetate Orphei Argonaut. p. 721. seqq.

§. 82.

In dactylicis numeris apud Graecos legitimus est hiatus, qui fit correpta longa vocali vel diphthongo ante aliam vocalem in thesi, ut,

ἄνδρα μοι ἔννεπε, Μοῦσα, πολύτροπον, ὃς μάλα πολλὰ
πλάγχθη, ἐπεὶ Τροίης ἱερὸν πτολίεθρον ἔπερσεν.

Quod fit etiam in thesi soluti in tribrachum trochaei, sed raro: ut in Eurip. Iphig. Taur. 197.

φόνος ἐπὶ φόνῳ, ἄχεά τ' ἄχεσιν.

Atque in soluta arsi prima dochmiaci, et quidem in utraque eius syllaba: fortasse etiam in ultima eiusdem versus arsi.

§. 83.

In veteri Graecorum poesi epica legitimus est etiam is hiatus, qui fit in longa syllaba arsin habente, ut

ἢ μὲν ἐνὶ πτολέμῳ, ἠδ' ἀλλοίῳ ἐπὶ ἔργῳ.

Omninoque haec poesis etiam multis aliis modis hiatum admisit, de quibus explicatum in dissertatione de aetate Orphei Argonauticorum. Ex his memorabilis est hiatus in longa thesi, quarti pedis propter graviorem ibi caesuram proprius:

πόλιν καὶ ἤθεα λαῶν.

§. 84.

Lyrici in dactylicis numeris sequuntur epicorum exemplum, sed modeste. In ordinibus duarum syllabarum non nisi in longa arsi, tum etiam in longa thesi, qua membrum finitur, hiatum sibi indulgent: ut Pindarus:

ἢ Καστορείῳ, ἢ Ἰολά-
ου ἐναρμόξαι μιν ὕμνῳ.

§. 85.

Romani poetae, quorum lingua non novit apostrophum, hiatum fere in solis longis syllabis probant, et quidem producta syllaba hiante tantum in dactylicis numeris, idque necessario, ubi sequente brevi syllaba synizesis fieri nequit: ut,

Amphion Dircaeus in Actaeo Aracyntho,
lamentis gemituque et femineo ululatu;

et apud Attium in Annalibus apud Macrobium Sat. I. 7.

et mos traditus illinc
iste, ut cum dominis famuli epulentur ibidem;

non necessario, ubi, quae sequitur, longa est, eoque synizesin fieri patitur, ut,

Nereidum matri, et Neptuno Aegaeo;

aut ubi longa sequente corripitur syllaba hians, ut,

insulae Ionio in magno.

Perrarus est hiatus in brevi syllaba, neque ille excusabilis, nisi accedente interpunctionis mora, ut apud Virgilium Aen. I. 405. Ecl. II. 53.

et vera incessu patuit dea: ille ubi matrem.
addam cerea pruna honos erit huic quoque pomo.

Et apud Catullum III. 16.

o factum male, o miselle passer.

§. 86.

Apud poetas scenicos in trochaicis numeris voces monosyllabae, natura longae, in soluta arsi ictum habentes, correptaeque, saepissime hiatum faciunt: eaedem hiant etiam in secunda syllaba dactyli. Saepe etiam hiatui excusando vel personae mutatio inservit; Pseud. I. 5, 38.

tibi auscultabo. PS. ítur ad te, Pseúdole.

vel si qua alia fit pausa in recitando. Vt in Sticho I. 3, 113.

sed éccum Dinacium éius puerum. — hóc vide.

Vide §. 102.

§. 87.

Hiatibus adnumerantur apud Latinos syllabae littera *m* terminatae, quae tamen syllabae non elidendae, sed celeritate pronuntiandi obscurandae sunt, ut ex Quintiliano IX. 4, 39. 40. intelligi potest. Hae interdum, maxime in monosyllabis, in dactylicae theseos priori tempore plene pronuntiantur, ut apud Lucretium III. 1095.

sed dum abest, quod avemus, id exsuperare videtur.

et apud Horatium Serm. II. 2, 28.

cocto num adest honor idem.

Rarius in longioribus vocabulis et in fine dactyli, ut apud Ennium in X. Annal.

insignita fere tum millia militum octo.

et non semel apud Lucretium. Producta syllaba apud Propertium II. 14, 1.

o me felicem: o nox mihi candida.

Apud scenicos poetas fere monosyllaba in ictu solutae arseos plene pronuntiata reperiuntur.

§. 88.

Crasis, de qua nondum habemus qui satis plene atque accurate exposuerit, Atticis inprimis usitata est, sed tantum in certis consociationibus. Nam fere ea tantum crasin faciunt, quae etiam sensu tamquam una notio cohaerent. Vnde frequentissima crasis est in articulo et nomine, ut *ἁνήρ, ἅνδρες, ἁρετή, ἁρεταί, τοὔργον, τἄργα, οὑμοί, τἀμά, ὁὑπιχώριοι, ἁπιχώριοι* apud Eurip. Ion. 1130. *θοἰμάτιον, θαἰμάτια, θἀτέρα, θὔτερον.* et *τοὐλέθρον,* apud Eurip. Iph. T. 488. Tum in particulis quibusdam, ut *τἄν, τἄρα,* ex *τοὶ ἄν, τοὶ ἄρα.* Rarior in pronomine et verbo, ut *ἅχω* ex *ἃ ἔχω.* Invenitur etiam in verbo ex pronomine, ut *ἐγᾦδα* ex *ἐγὼ οἶδα,* et *γενήσομἀγώ* ex *γενήσομαι ἐγώ,* quod positum in Iphig. Aul. 1406. comicis proprium est, qui primam futuri personam terminationis passivae etiam cum aliis nominibus contrahunt, ut *περιοψομἀπελθόντα* apud Aristoph. Ran. 512. et *ἐνιαυτιζομἀπλακοῦντος* apud Platonem comicum, citatum ab Athenaeo p. 664. A. Vide Gaisford. ad Hephaest. p. 222.

§. 89.

In universum autem tenendum, longas vocales *α, η, ω,* cum brevi initiali, quae fere sola *ε* est, facile colliquescere: item diphthongum *ου,* quae nihil videtur esse quam supplementum vocalis, cui proprium signum non habebant Graeci. Non etiam eadem contractio fit in iis, quae proprie diphthongi sunt, nisi in futuris illis, ut *γενήσομἀγώ.* Perraro in aliis, ut *νικώμενοι ᾽κύρισσον* et *πλεῖστοι ᾽θανον* in Persis Aeschyli 310. 490. et *πεσοῦσαι ᾽κλαιον* in Soph. Oed. C. 1608. et *ταχεῖ ᾽πόρευσαν* ibidem v. 1602. et *ἐπεὶ ᾽δάκρυσα* in Philoct. 360. Dubium est *εἰ ᾽πιταξόμεσθα* in Eurip. Suppl. 523. *Καὶ* vero cum omnibus vocalibus et diphthongis crasin facit, rarius tamen cum *ι.* Sed non copulari per crasin cum *ἀεί,* neque cum *εὖ* nisi in compositis, observavit Porsonus ad Phoen. 1422.

§. 90.

Synizesis, sive synecphonesis, quae in eo posita est, ut duae vocales simul pronuntientur, sed non in diphthongum coniunctae, apud Atticos usitatissima est in genitivis in *εως* et *εων* terminatis, ut *πόλεως*, *πόλεων*. Apud epicos etiam corripiuntur simul pronuntiatae vocales sequente alia vocali, sed vix aliter quam in secunda dactyli syllaba:

δενδρέῳ ἐφεζόμενοι.

Nam quod apud Hesiodum est O. et D. 640.

Ἄσκρῃ, χεῖμα κακῇ, θέρει ἀργαλέῃ, οὐδέ ποτ' ἐσθλῇ,

in eo nescio an non *έῃ*, sed *ῃ ου* contrahendae sint. Usitata enim et recepta etiam apud Atticos est synecphonesis in *ἢ οὐ*, *μὴ οὐ*, *μὴ εἰδέναι*, tum etiam in *ἐπεὶ οὐ*. Latini semper synecphonesi utuntur, ut hodie Itali: nisi quod *e* in particula *que* vere elisam esse sequente vocali credibile est. Etiam in mediis vocibus frequens apud scenicos Latinos synecphonesis est, ut *meus*, *tuus*, *eius*, *huius*.

§. 91.

Perrarum est duas breves vocales per synecphonesin coniunctas corripi. Affert Hephaestio aliique grammatici Praxillae versum:

ἀλλὰ τεὸν οὔποτε θυμὸν ἐνὶ στήθεσσιν ἔπειθον.

Etiam Pindarus Pyth. I. 56 (109). corripuisse visus est *θεὸς* monosyllabum, sed falso. Inveniuntur hae duae vocales ibi fere simul pronuntiatae, ubi positio syllabam longam facit. Ceterum diligenter in hoc toto genere videndum, quid elegans sit, et auribus iucundum: de qua re quaedam monuit Naekius in libro de Choerilo p. 147. seqq.

§. 92.

Rarior est synecphonesis litterae *υ* cum alia sequente vocali, usitata illa quidem in dativis, ut *νέκυι*. Invenitur etiam in *Ἐρινύων* apud Eurip. Iph. T. 391. 970. 1456., in *ἡδυοσμὸς* in Ammiani epigr. 20., in *δυοῖν* apud Soph. Oed. R.

640. Suspectum autem *γενύων* apud Pind. Pyth. IV. 401 (225). Sed *ἄστυ ἐριχνδὲς* est in oraculo apud Herodotum VII. 220. et alios. Apud Latinos ***Davus, navem*** saepius in unam syllabam contrahuntur. ***Tenuis*** autem etiam epicis disyllabum usurpatur.

§. 93.

Negat *ι* synecphonesin facere Porsonus ad Phoen. 1651. Recte. Nisi forte in quibusdam cum *διὰ* compositis verbis haec praepositio una syllaba pronuntiata fuit. Sed *ζαπρέπον* Aeschylo et tribus locis *χάρζαν* obtrusa relinquentur inventori. Corrupta sunt in Euripidis Ion. 285. Herc. fur. 1295. Bacch. 996. *Πύθιος, Ὀλυμπίου, ὄργια.* Admiserunt talia mali poetae necessitate coacti, ut *Πηλιάδα* Sotades ab Hephaestione et aliis citatus, *Φειδίας* et *Ἀπολλωνίας* apud Pausan. V. 10, 2. 22, 2. Latini ***abietibus, connubium, consilium*** interdum littera ***i*** pene consonantis vicem tenente usurpant.

§. 94.

Notabilis est synecphonesis seu potius elisio *ι* dativi singularis tertiae declinationis, ut apud Homerum:

χαῖρε δὲ τῷ ὄρνιθ' Ὀδυσεύς,
ἀστέρ' ὀπωρινῷ ἐναλίγκιον.

In his quidem exemplis grammatici docent non elidi *ι*, sed agnoscunt tamen *Αἴανθ' ὃς* Iliad. XI. 589. Vid. Spitzneri excurs. VI. ad Iliad. Sed et apud Homerum hoc rarum est, et rarius apud Atticos (v. Matthiae ad Eurip. Alcest. 1128.), qui etiam in dativis pluralibus elisionem vitant: v. Porson. Append. ad Toup. Em. in Suid. p. 450. et Monthly Review 1789. Septemb. p. 244.

§. 95.

Latini veteres in vocabulis brevi syllaba in litteram ***s*** exeunte terminatis saepe abiiciebant ***s*** propter metrum,

vita illa dignu' locoque.

Scenici poetae raro hoc fecerunt in iis versuum locis, qui diligentem iustae mensurae observationem requirunt.

§. 96.

Accentus apud veteres epicos plurimum valebat et ad producendas syllabas, in quibus positus esset, et ad corripiendas, quas vel sequeretur, vel praecederet. Produci facit syllabam penultimam, si ultima longa est, in thesi, ut

δῶρα παρ' Αἰόλου μεγαλήτορος Ἱπποτάδαο,

Odyss. κ. 36. V. Elem. d. m. p. 56. Si brevis est ultima, in arsi: Il. μ. 208. π. 145.

Τρῶες δ' ἐῤῥίγησαν, ὅπως ἴδον αἰόλον ὄφιν.

Ἵππους δ' Αὐτομέδοντα θοῶς ζευγνύμεν ἄνωγεν.

Antepenultimam, si brevis est quae sequitur, in arsi: ut ὄϊες, ἵμεναι, ἀρόμεναι Odyss. ι. 425. Iliad. υ. 365. Hesiod. O. et D. 22.

§. 97.

Corripitur vocalis propter sequentem accentum in oxytonis quibusdam trisyllabis, ut ἐπειή, μεμαώς, Ἀχιλεύς, Ὀδυσεύς. Et in tetrasyllabis, quae ab his declinantur, ut μεμαότες, Ἀχιλέος, Ὀδυσέος, quae scribuntur μεμαῶτες, Ἀχιλῆος, Ὀδυσῆος.

§. 98.

Corripitur propter praecedentem accentum penultima maxime in coniunctivis, ut ἀγείρομεν, μίσγεαι, βούλεται, ἀποθείομαι, quae sic scribuntur pro ἀγείρωμεν, μίσγηαι, βούληται, ἀποθείωμαι. Raro, ubi brevis est ea syllaba, quae accentum habet, ut in ἄλεται Iliad. λ. 192. Huc referri debet etiam commemorata a grammaticis correptio penultimae in tertia perfectorum, ut λελόγχασι, quae tamen ex Homeri Hesiodique carminibus hodie expulsa est. V. Elem. d. metr. p. 58.

§. 99.

Vltima corripitur tantum in ἕως apud Homerum, quod scribi deberet εἷος, ut saepissime in illo ἕως ὁ ταῦθ' ὥρμαινε. Od. ι. 233. τ. 367.

ἥμενοι, ἕως ἐπῆλθε νέμων.

ὅσσα σὺ τῷ ἐδίδως, ἀρώμενος, ἕως ἵκοιο.

Iliad. τ. 189. scribendum:

μιμνέτω αὐτόθι τέως, ἐπειγόμενος περ Ἄρηος.

V. Elem. d. m. p. 59.

§. 100.

Similia multa habuit familiaris sermo Latinorum, quae usu cognoscenda, duce maxime Bentleio in schediasmate de metris Terentianis et adnotationibus ad Terentium. Praecipue tenendum, licet grammatici dicant, nullum Latinae linguae vocabulum in quarta a fine syllaba accentum habere, tamen tetrasyllaba omnia, quae tres breves ante ultimam habent, ita in versu collocari, ut ictus in primam incidat, ut *fámilia*, *míseria*, *tétigero*, *cécíderit*. Deinde ubi ultimam duae longae praecedunt, elisa ultima, retrahi accentum in tertiam a fine:

poëta quum primum ánimum ad scribendum áp-
pulit.

In primis etiam attendendum ad dictiones encliticas, quas Latina quoque lingua multas habet.

§. 101.

In initio orationis, et ubi quid significanter dici volumus, vocem magis solemus intendere. Hinc intensio vocis in prima arsi versus heroici producendae brevi syllabae aliquando inservit, ut Iliad. δ. 155. ε. 359. χ. 379. ψ. 2.

φίλε κασίγνητε,

ἐπειδὴ νῆάς τε καὶ Ἑλλήσποντον ἵκοντο.

Hesiodus O. et D. 436.

δρυὸς ἔλυμα, γύην πρίνου, βόε δ' ἐνναετήρω.

Theognis v. 1075.

βρόχον ἀποῤῥήξας.

Eodem pertinet in nominibus propriis facta productio, ubi pondus aliquod in iis inest. Aeschylus S. ad Th. 494. 553. Sophocles ap. Priscian. p. 1328.

Ἱππομέδοντος σχῆμα καὶ μέγας τύπος.

Παρθενοπαῖος Ἀρκάς· ὁ δὲ τοιόςδ' ἀνήρ.

Ἀλφεσίβοιαν, ἣν ὁ γεννήσας πατήρ.

§. 102.

Interpunctio denique quoniam consistere vocem et aliquam pausam fieri postulat, in quibusdam generibus versuum, ut in dochmiacis, interdum facit ut syllaba finalis, quae brevis est, producatur. Quod post compellationem potissimum, et exclamationem, et interrogationem fieri, observavit Seidlerus in epistola ad Lobeck. Aiaci huius adiuncta p. 435. seqq. et de verss. dochm. p. 79. seqq. Et apud Romanos quidem scenicos etiam in trochaicis numeris, ut in Plauti Milite III. 2, 34.

numquam édepol vidi prómere: verum hóc erat.

Non minus etiam est ubi hiatui excusando serviat interpunctio. Vide §§. 82. 85. 86. De quo qui disputavit, Car. Lingius, in libello supra §. 80. commemorato, modum in hac re excessit, quum non modo in caesura, sed aliis etiam in locis versuum admissum esse hiatum contendit. Indiget haec res adhuc diligentiore pervestigatione. Illud certum videtur, ubicumque in recitando etiam extra metrum pausa fieri solet, ferri hiatum. Sic in Asinaria IV. 1, 59.

ancíllam ferre Véneri-aut Cupídini.

Omninoque illa scena plena est exemplis hiatuum, quia lente distincteque recitatur syngraphum, quod condi iusserat Diabolus. Eadem ratio est in enumerationibus plurium rerum similium. Vt in Aul. III. 5, 34. Men. III. 2, 11. Merc. IV. 4, 5. V. 2, 11.

stat fúllo, phrygio, -aúrifex, lanárius.
prandí, potavi, scórtum accubui, -ábstuli.
vidére, amplecti, -ósculari, -álloqui.
égomet mihi comés, calator, équus, agaso, -ármiger.

Et in versibus Creticis Most. I. 2, 73.

árte gymnástica, dísco, -hastís, pila,
cúrsu, -armís, equo.

Dubitari potest de illo Pseud. I. 1, 17.

iuvábo aut re, -aut ópera, aut consilió bono.

quum facillima correctione scribi possit: *iuvabo te aut*

re. Tum etiam in repetitione similium verborum hiatus interdum etiam necessarius est, ut in Mercat. I. 2, 68.

A. éloquar, quandóquidem me oras. túus pater
CH. quid méus pater?
A. túam-amicam CH. quíd eam? A. vidit. CH.
vídit? vae miseró mihi.

Et in eadem fabula II. 4, 10.

CH. quíd id est, quod scis? EV. túus pater volt
véndere CH. omnem rém tenes.
EV. túam-amicam CH. nímium multum scis. EV.
tuis ingrátiis.

Naevius quidem satis indiligens in hoc genere fuisse videtur, ex quo Cicero in Orat. 45. haec hiatuum exempla affert:

vos quí-accolitis 'Istrum fluvium atque Álgidum.
quam númquam vobis Gráii-atque bárbari.

Notavimus hiatus inserta inter voces lineola, ut veteres faciebant. V. Elem. d. m. p. 149. Eoque signo etiam infra saepe utemur.

LIBER II.

De metris simplicibus.

CAP. I.

De generibus metrorum simplicium.

§. 103.

Metra simplicia vocamus, quae uno genere numeri procedunt. Et quum numeri omnes aut sola tantum arsi contineantur, aut thesin habeant ex temporibus mensura vel paribus arsi, vel minoribus: tria apparet numerorum genera esse, primum ex solis arsibus; secundum ex paribus temporibus, qui sunt numeri pyrrhichiaci, tribrachici, proceleusmatici, spondiaci, Molossici: tertium ex imparibus temporibus, qui sunt numeri trochaici, dactylici, paeonici: qui quod plurimum varietatis et suavitatis habent, longe sunt omnium usitatissimi.

CAP. II.

De arsi nuda et basi.

§. 104.

Raro arsis nuda usurpatur. Omninoque metrum ex solis arsibus compositum inconcinnum et asperum foret.

§. 105.

Sed aliquid huiusmodi invenitur in **basi**. Sic vocamus numerum ex duabus arsibus compositum, qui in principio quorumdam ab arsi incipientium numerorum usurpatur, ut dactylicorum quorumdam, et choriambicorum, et logaoedicorum.

§. 106.

Constare autem basin ex duabus arsibus, ex eo cognoscitur, quod utraque syllaba incertam mensuram habet. Nam si alterutra tantum arsin haberet, ex lege numeri certa deberet comparatio esse mensurarum. Vtraque autem si arsis est, iure ambae ancipites sunt, quia utraque simul et initium et finis numeri est. Vnde promiscue pedes disyllabi omnes admittuntur:

⏑́⏑́
–́–́
⏑́–́
–́⏑́

Ita quidem lyrici Aeolenses, ut Sappho apud Hephaest. p. 24 (42).

Ἔρος δ' αὖτέ μ' ὁ λυσιμελὴς δονεῖ,
γλυκύπικρον ἀμάχανον ὄρπετον.
Ἀτθί, σοὶ δ' ἐμέθεν μὲν ἀπήχθετο
φροντίσδην, ἐπὶ δ' Ἀνδρομέδαν ποτῇ.

§. 107.

Sed poesis lyrica Doriensium, quam tragoedia et comoedia sequitur, exclusit pyrrhichium. Idque videntur etiam Aeolenses quidam fecisse, ut Corinna. Hi igitur quum alteram utram arsin necessario longam esse voluerunt, consentaneum erat, solvi posse hanc arsin in duas breves; unde prout ea prior vel posterior arsis est, hae formae natae:

–́ | ⏓́   ⏓́ | –́
⏑́⏑ | | ⏑́⏑

Itaque et anapaesto et dactylo locus est: sed raro his duobus pedibus, nec frequenter tribracho utuntur, solique, ut videtur, poetae scenici post Olymp. LXXXIX. Propter hanc varietatem mensurae in describendis numeris basin ita notamus,

∴ ∴

Duplicem basin habet Pindarus Nem. IV. v. 5. et 6. stropharum.

CAP. III.

De numeris parium temporum.

§. 108.

Inveniuntur, sed raro, numeri ex solis brevibus vel solis longis temporibus compositi, maxime autem ex brevibus. Sed videntur plerique saltem horum numerorum ex solutionibus vel contractionibus numerorum imparia tempora habentium orti esse: ita ut non possint certae eorum formae constitui, quae non eaedem sint, atque illae, quae imparium temporum numeris contineantur.

§. 109.

Attendendum in his numeris ad commodam pronuntiationem, ex qua facile plerumque colligitur, utrum ad trochaeos, an ad iambos, an ad anapaestos, an ad dochmiacos, in quo genere usitatissima est longarum omnium solutio, pertineant. Trochaici generis exemplum est ap. Eurip. Iph. T. 198.

φόνος ἐπὶ φόνῳ, ἄχεά τ' ἄχεσιν.

Iambici in Aesch. Prom. 903.

ἀπόλεμος ὅδε γ' ὁ πόλεμος, ἄπορα πόριμος.

Anapaestici apud Hephaestionem p. 27. (48).

τίς ὄρεα βαθύκομα τάδ' ἐπέσυτο βροτῶν.

Dochmiaci apud Sophoclem Oed. R. 1313.

νέφος ἐμὸν ἀπότροπον ἐπιπλόμενον ἄφατον.

§. 110.

Spondiaci numeri fere ad anapaestos pertinent. Molossici inusitati sunt, licet commemorati a Mario Victorino p. 2545. seq. qui hoc exemplum ponit:

ite o Spartae primores fauste nunc parcas ducentes.

CAP. IV.

De versibus trochaicis.

§. 111.

Trochaici numeri sunt hi:

|´⏑–⏑	trochaicus.
⏑|´⏑–	iambicus.
|´⏑–	Creticus.
⏑|´´⏑	antispasticus.
⏑|´–	Bacchiacus.

§. 112.

Trochaici et iambici numeri fere ex ordinibus periodicis duplicibus, i. e. ex dipodiis constant. Metrici veteres, qui eos ita in pedes describunt:

´⏑\|´⏒\| ⏒´\|⏑–

non habent, quomodo explicent, quod trochaei in locis paribus, i. e. in secundo, quarto, sexto, octavo pede, iambi autem in imparibus, i. e. in primo, tertio, quinto, septimo spondeum admittant. Ex nostra doctrina qui et finem ordinis et brevem anacrusin ancipitem esse ostenderimus (§. 66. seqq.), sponte intelligitur, et numerum utriusque generis eumdem, et legem eamdem ancipitis esse:

´⏑–⏒´⏑–⏒´⏑–⏒
⏒´⏑–⏒´⏑–⏒´⏑–

§. 113.

Creticos et Bacchiacos numeros musici et metrici ad genus paeonicum referunt. Sed Creticum manifestum est dipodiam esse trochaicam catalecticam. Bacchiacus autem substitutus est amphibrachico, qui propter mollitiem improbatus fuit.

§. 114.

Antispastus compositus est ex iambo et trochaeo: ex quo numero, quia asperior est, ita condi versus solent, ut et catalexi aliqua et consociatione aliorum numerorum asperitas eius leniatur.

CAP. V.

De numero trochaico.

§. 115.

Trochaici plerique per dipodias incedunt: quarum in fine anceps admittitur (§. 112.), arses autem solvi licet. Inde dipodiae trochaicae haec forma est,

´ ◡ – ⏒
◡◡ ◡◡

§. 116.

Quidam trochaici ex longioribus ordinibus constant, quorum maxime memorabilis est ithypallicus, qui est ex ordine triplici:

´ ◡ – ◡ – ⏒
◡◡ ◡◡

Quare in hoc non secundus pes, ut qui in medio ordine sit, sed tertius spondeum admittit. (§. 67.)

CAP. VI.

De trochaicis monometris, dimetris, et trimetris.

§. 117.

Trochaici monometri fere in systematis inveniuntur, quae, ut in plerisque aliis numeris, sic etiam in trochaico ex dimetris condi solent, maxime a comicis. Haec systemata una perpetuitate continuantur, finita versu catalectico: quare non est hiatui in fine singulorum versuum locus, neque integra voce finiri versus necesse habetur, sed totum systema unius versus instar est. Aristophanes in Pace v. 339.

καὶ βοᾶτε, καὶ γελᾶτ᾽· ἤ-
δη γὰρ ἔξεσται τόθ᾽ ὑμῖν
πλεῖν, μένειν, κινεῖν, καθεύδειν,
ἐς πανηγύρεις θεωρεῖν,
ἑστιᾶσθαι, κοτταβίζειν,
συβαρίζειν,
ἰοῦ ἰοῦ κεκραγέναι.

Dactylum Graeci non nisi in nomine proprio admittunt. Emendatione opus est in Aristoph. Eq. 301. Non est autem ibi *ἱρὰς* scribendum, qua forma non utuntur comici.

§. 118.

Tragici, quoniam haec legitima systemata comicorum propria habebantur, aut incipere ea alio numero solent, aut finire, ut Euripides in Oreste v. 996. ed. Pors.

ὅθεν ἔρις τό τε πτερωτὸν
ἁλίου μετέβαλεν ἅρμα
τὰν πρὸς ἑσπέραν κέλευθον
οὐρανοῦ προσαρμόσασα
μονόπωλον ἐς ἀῶ.

§. 119.

Trimetros nec tragoediam neque comoediam umquam agnovisse recte dicit Bentleius ad Cic. Q. Tusc. III. 12. Si

qui inveuiri videntur, ut quos Gaisfordius ad Heph. p. 263. ex Soph. Oed. Col. 1081. 1092. affert, pertinent ad epitritos. V. tamen Elem. d. m. p. 453.

CAP. VII.

De trochaicis tetrametris catalecticis.

§. 120.

Vsitatissimus est tetrameter catalecticus, caesuram habens in fine secundae dipodiae. Eam comici saepe, tragici vix umquam negligunt. Aeschyli versum in Persis 164.

ταῦτά μοι διπλῆ μέριμν' ἄφραστός ἐστιν ἐν φρεσίν,

non bene correxit Porsonus in praef. ad Eurip. Hec. p. 43. Scribendum *μέριμνα φραστός*. Excusationem a mutatione personae, caesuram mutante per pausam in recitando, hoc Sophoclis habet in Philoct. 1402.

N. εἰ δοκεῖ, στείχωμεν. Φ. ὦ γενναῖον εἰρηκὼς ἔπος.

V. Elem. d. m. p. 37. 82.

§. 121.

Solutiones longarum frequentiores sunt in primo cuiusque dipodiae, quam in secundo pede, quia suavius remittitur vis numeri, quam augetur. Tragoedia recentior, orta circa Ol. LXXXIX. ut omnino negligentior in numeris, ita etiam immodica in solutionibus est, ut adeo disyllabas voces in tribrachum admitteret. Eurip. Or. 736.

χρόνιος· ἀλλ' ὅμως τάχιστα κακὸς ἐφωράθη φίλοις.

Non hoc indulserunt sibi antiquiores, nisi in praepositionibus et aliis quibusdam arcte coniunctis verbis, ut *διὰ κακῶν, ὁ δὲ τοιόςδε*. Non numerosus est Epicharmi versus apud Athen. VII. p. 315. F.

μεγαλοχάσμονάς τε χάννας κηκτραπελογάστορας ὄνους.

Scribendum *κῆκτραπελογάστρους*: cf. Clem. Alex. Protrept. II. I. p. 176.

§. 122.

Tragicos ante ultimam dipodiam non terminare verbum ex pluribus syllabis constans in syllabam longam, observavit Porsonus in praef. ad Eurip. Hec. p. 43. Comici id non dubitant facere, ut Aristoph. Nub. 577.

πλεῖστα γὰρ θεῶν ἁπάντων ὠφελούσαις τὴν πόλιν.

In Eurip. Hel. 1644.

οἷπερ ἡ δίκη κελεύει μ'· ἀλλ' ἀφίστασθ' ἐκποδών,

ἀφίστασ' scribendum putavit Porsonus, ubi tamen fortasse, ut in trimetro iambico infra ostendemus, interpunctio maior, quae praecedit, excusationem affert.

§. 123.

Dactylum iambographi et tragici non nisi in nomine proprio admiserunt; et recentior quidem tragoedia etiam ibi, ubi alia collocatione verborum evitari dactylus poterat, ut Eur. Or. 1536.

σύγγονόν τ' ἐμήν, Πυλάδην τε τὸν τάδε ξυνδρῶντά μοι.

Eamdem comicorum fuisse severitatem recte contendit Porsonus l. l. emendandique sunt versus qualis in Acharn. 318.

ὑπὲρ ἐπιξήνου θελήσω τὴν κεφαλὴν ἔχων λέγειν.

ubi tamen vehementer errarunt, qui *κεβλὴν* scribi iusserunt. Non minus severus est Epicharmus: sed non sunt in eius versibus synizeses *ια, ιαι, ιοι, ιω* ad medendum adhibendae, quas admisit H. L. Ahrens ad fragm. 36.

§. 124.

Latini, qui hunc versum quadratum et septenarium vocant, solutionibus utuntur creberrimis. Iidem omnibus locis, excepta ultima dipodia, spondeum, anapaestumque admittunt, non raro etiam dactylum, sed ita, ut hi pedes propter communis sermonis incertam mensuram non multum offensionis habeant.

§. 125.

Plauto hi versus asynarteti sunt, qui in caesura, quam tamen saepissime negligunt Romani, etiam hiatum admiserit: ut in Amph. I, 1, 116.

crédo ego hac noctú Nocturnum - óbdormivisse ébrium.

CAP. VIII.

De trochaico tetrametro claudo.

§. 126.

Iambographorum proprius est tetrameter claudicans, qui propterea sic vocatur, quia non, ut usitatus tetrameter, in iambum, sed in trochaeum exit: i. e. posterior eius pars hos ordines habet:

⏑́⏑– | ⏑⏑́ | ⏑́⏑

μὴ προτίμα δῆτ᾽ · ἐμὲ χρὴ τῷ σκότῳ δικάζεσθαι.

V. Elem. d. m. p. 89. Caesura est eadem, quae in vulgari tetrametro. Hoc metro sunt septem versus Ananii apud Athenaeum VII. p. 282. B.

CAP. IX.

De trochaicis tetrametris acatalectis.

§. 127.

Tetrametri acatalecti Hephaestio exemplum affert ex Anacreonte:

κλῦθί μευ, γέροντος εὐέθειρα χρυσόπεπλε κούρη,

in quo neglecta est caesura. Nam hic quoque versus cae-

suram habet in fine pedis quarti. Scenici poetae Graecorum non usurpant hoc metrum.

§. 128.

Latinorum et tragici videntur hoc versu usi esse, et comici usi sunt multum. Vocant eum **octonarium**. Pedum easdem formas sibi indulgent, quas in septenario. Plautus hunc quoque asynartetum fecit. Exemplo sint hi in Aul. III. 1, 1.

óptati civés, populares, íncolae, accolae, ádvenae omnes,
dáte viam, qua fúgere liceat; fácite totae pláteae pateant.

Et in Bacchid. IV. 3, 1.

pétulans, protervo, iracundo ánimo indomito, incógitato,
sine modo et modéstia sum, sine bono iure átque honore,
incredibilis, imposque animi, ínamabilis illépidus vivo.

Tribrachum in ultimo pede sibi non indulsisset Graecus poeta.

CAP. X.

De trochaico pentametro.

§. 129.

Pentametro catalectico, quem ὑπέρμετρον vocat Hephaestio, quia triginta tempora excedit, quae excedi non debere contendunt metrici, Callimachus usus est:

ἔρχεται πολὺς μὲν Αἰγαῖον διατμήξας ἀπ' οἰνηρῆς Χίου
ἀμφορεύς, πολὺς δὲ Λεσβίης ἄωτον νέκταρ οἰνάνθης ἄγων.

§. 130.

Bentleius errat, metrum hoc etiam Terentio tribuens in Phorm. I. 4, 17. III. 2, 1. Nulli eo neque Graecorum neque Romanorum scenici poetae usi sunt. V. Elem. d. m. p. 93.

CAP. XI.

De versu ithyphallico.

§. 131.

Versus ithypallicus, qui, quod ex uno ordine periodico constat, omnes trochaeos puros habere debet, neque alium praeterea pedem, quam tribrachum, admittit (§. 116.), sed eum non in ultimo pede, quia remissiorem in fine numerum esse decet, lyricis maxime epodi loco usurpatur. Simonides ap. Etym. M. p. 413, 23.

οἷον τόδ' ἡμῖν ἑρπετὸν παρέπτατο,
ζώϊον κάκιστον.

Tum in asynartetis quibusdam, ut apud Archilochum:

οὐκ ἔθ' ὁμῶς θάλλεις ἁπαλὸν χρόα· κάρφεται γὰρ ἤδη.

Tragici Graeci et comici utuntur hoc versu interdum in melicis. Latinorum scenici abstinuisse ab eo videntur.

CAP. XII.

De numero iambico.

§. 132.

Numerum iambicum supra §. 112. ostendimus eo differre a trochaico, quod anacrusin habet. Atque iambici

quoque versus fere per dipodias incedunt, anacrusi ubique ancipiti, arsibus autem, praeter ultimam, saepe solutis:

⏒ –́ ⏑ – | ⏒ –́ ⏑ – | ⏒ –́ ⏑ –
⏑⏑ ⏑⏑ | ⏑⏑ ⏑⏑ | ⏑⏑

Vnde metrici in imparibus locis spondeum admitti docent. Sic hoc numero usi sunt iambographi et tragici, anapaestum non nisi in nomine proprio et non in ultimo pede admittentes. Vtrique interdum data opera curarunt, ut pedes omnes puri iambi essent. Est tamen genus iambicum, quod non ex dipodiis constat: de quo dicetur in antispastici numeri explicatione.

§. 133.

Comici in omnibus pedibus, excepto ultimo, etiam anapaestum admittunt. Ita quidem metrici. Sed ex hac re consequuntur, quae falsa esse et numerus ipse, et auctoritas poetarum ostendit. Nam si anapaestus omnibus locis recipitur, necesse est, praegressa soluta arsi, et proinde tribracho vel dactylo anapaestum praecedente, quattuor in thesi syllabas esse, quod numero trochaico repugnat.

⏑⏑́⏑ ⏑⏑– ⏑ | –́ ⏑ | –
–⏑́⏑ ⏑⏑– – | ⏑⏑́ ⏑⏑ | –

Itaque recte Dawesius in Misc. crit. p. 250. negat hos pedes consociari posse. Contra tribracho anapaestum praegresso, ictu autem in ultima tribrachi collocato, quod Latini certe poetae saepissime faciunt, salvus manet numerus trochaicus, metricorum autem doctrina evertitur, non ferentium pedem quattuor temporum:

⏑⏑ | ⏑́⏑⏑ | – ⏑⏑⏑́⏑ | ⏑–
⏑⏑ | –́ ⏑ | – ⏑⏑ –́ | ⏑–

Hinc apertum est, errare metricos, et praecipiendum esse sic, trochaeum in metris iambicis comicorum commutari cum dactylo irrationali, i. e. imminuta syllabarum mensura prope ad tribrachum accedere. (§§. 33. 35.) Ex quo sequitur, ubi

dactylus ille admittitur, arsin solvi non posse. Itaque duplex est numeri iambici apud comicos forma, excepto ultimo pede versuum acatalectorum, qui semper purus iambus est;

⏓	–́ ⏑	–		⏓	–́ ⏑	–
⏑⏑	⏑⏑				–⏑⏑	

CAP. XIIII.

De iambicis monometris et dimetris.

§. 134.

Monometri iambici rarus est usus apud omnes poetas. Saepius tamen in systematis dimetrorum invenitur.

§. 135.

Dimetris usi sunt et lyrici et tragici et comici. Quorum iam Anacreontem et Alcmanem eos in systemata coniunxisse videri observat Gaisfordius ad Heph. p. 243.

§. 136.

Vsitatissima sunt apud comicos systemata dimetrorum, versu catalectico finita, et una perpetuitate numeri cohaerentia, ita ut non modo dividi in fine versuum vocabula possint, sed etiam hiatus et syllaba anceps excludatur, ac solvi ultimam arsin liceat. Aristophanes Acharn. 1040.

κατάχει σὺ τῆς χορδῆς τὸ μέλι,
τὰς σηπίας στάθευε.

Anapaesto non est locus nisi in primo pede dipodiae. Corruptus est primus versus in hoc exemplo Aristophanis Eq. 453.

παῖ' αὐτὸν ἀνδρικώτατα καὶ
γάστριζε τοῖσιν ἐντέροις
καὶ τοῖς κόλοις·
χὤπως κολᾷ τὸν ἄνδρα.

§. 137.

Tragici ubi huiusmodi systematis utuntur, finire ea solent versu alius generis, ut Eurip. in Oreste v. 988. ed. Pors.

ὅθεν δόμοισι τοῖς ἐμοῖ-
σιν ἦλθ' ἀρὰ πολύστονος,
λόχευμα ποιμνίοισι Μαιάδος τόκου
τὸ χρυσόμαλλον ἀρνὸς ὁπότ'
ἐγένετο τέρας ὀλοὸν ὀλοὸν
Ἀτρέος ἱπποβότα.

§. 138.

Apud Plautum eodem modo perpetuatus per systemata numerus, et catalectico versu finitus invenitur, ut apud Graecos comicos. Vt in Cistellaria II. 1, 11.

. . *maritumis móribus*
mecum éxperitur: íta meum
frangít amantem animum, néc nisi quia
misér non eo pessum, úlla abest
mihi pérdito perníciei.

V. Elem. d. m. p. 397. et 391. Vltimam arsin catalectici versus Graeci poetae non solvunt.

CAP. XIV.

De iambicis trimetris acatalectis.

§. 139.

Nobilissimus versuum iambicorum **trimeter** est **acatalectus**, quem Latini **senarium** vocant. Grammatici quattuor eius formas commemorant, **iambicum**, qui proprie ita dicatur, maxime ex puris iambis constantem; **tragicum**, spondeorum alternatione insignem: **comicum**, pedibus trisyllabis plenum: **satyricum**, qui medius sit inter tragicum

et comicum. Vid. schol. Hephaest. p. 87 (170). Non sunt haec omni ex parte vera.

§. 140.

Caesuram habet trimeter legitimam, quae *πενθημιμερὴς* vocatur:

⏓–́⏑–⏓ | –́⏑–⏓ | –́⏑–

Sed saepe ea negligitur, aliaeque, aliquando etiam nullae caesurae fiunt: quo fit ut hic versus propter miram ordinum varietatem aptus sit longioribus carminibus. Omnium minime probatur ea distinctio, qua versus in tres integras iambicas dipodias distribuitur, quia haec omni varietate caret. Cuiusmodi carmen de industria condidit Castorion Solensis: vid. Athenaeum X. p. 454. F.

σὲ τὸν βόλοις νιφοκτύποις δυςχείμερον.

§. 141.

Iambographi plerumque a solutionibus abstinuerunt. Amant hi praecipue purum iambum, ita ut a quibusdam carminibus spondeum plane excluserint, ut Catullus carm. IV. Recentiores raro etiam anapaestum admisere, ut in carmine factum, quod exstat apud Athenaeum VI. p. 253.

§. 142.

Tragici ut plerumque legitimam caesuram, ita saepe etiam alias usurpant. De his quae disseruit Porsonus in supplem. praef. ad Hec. parum fructuosa, et ne satis quidem vera sunt. Saepe invenitur caesura *ἑφθημιμερής*, quae est in medio pede quarto. Ea versum in hos ordines distribui postulat:

⏓–́⏑– | ⏓–́⏑‖–́⏓ | –́⏑–

κείνη γὰρ ὤλεσέν νιν, εἰς Τροίαν τ᾽ ἄγει.
ἐπεὶ πατὴρ οὗτος σός, ὃν θρηνεῖς ἀεί.

§. 143.

Quae in fine tertii pedis fit, rarior quidem caesura, et per se minime elegans, tamen saepe in oratione gravi et

commota aptissime adhibita invenitur. Aesch. S. ad Th. 1054. Soph. El. 1036. 1038. Eurip. Hec. 387.

ἀλλ' ὃν πόλις στυγεῖ, σὺ τιμήσεις τάφῳ;
ἀτιμίας μὲν οὔ, προμηθείας δέ σου.
ὅταν γὰρ εὖ φρονῇς, τόθ' ἡγήσει σὺ νῷν.
κεντεῖτε, μὴ φείδεσθ'· ἐγὼ 'τεκον Πάριν.

Ea hos sibi ordines postulat:

⏒⏑́⏑– | ⏒⏑́ ‖ ⏑⏑́⏒ | ⏑́⏑–

§. 144.

Raro pedes secundum et tertium una voce contineri observavit Porsonus. Nam durior hic incessus numeri est, ut, si plerumque non aptus, at aliquando tamen aptissimus sit, ut in Aeschyli Persis 465. 509. et Eurip. Suppl. 699.

Ξέρξης δ' ἀνῴμωξεν κακῶν ὁρῶν βάθος.
Θρῄκην περάσαντες μόλις πολλῷ πόνῳ.
καὶ συμπατάξαντες μέσον πάντα στρατόν.

§. 145.

Tertium et quartum pedem numquam una voce comprehendi contendit Porsonus, corrigenda putans, si qua inveniantur exempla. Non recte. Nam nunc alia caesura duritiem emollit, ut in Persis 500.

ἐπεὶ δὲ πολλὰ θεοκλυτῶν ἐπαύσατο
στρατός, | περᾷ κρυσταλλοπῆγα διὰ πόρον.

Nunc etiam nihil impedit, quin carere versum caesurā statuamus, ut in Aeschyli Agam. 1061. Suppl. 252.

ἦ κάρτ' ἄρ' ἂν παρεσκόπεις χρησμῶν ἐμῶν.
καὶ τἄλλα πού μ' ἐπεικάσαι δίκαιον ἦν.

§. 146.

Nam crebri sunt versus omni caesura carentes, quorum singuli pedes singulis vocibus continentur. Soph. Oed. R. 59.

τὸ γὰρ τυχεῖν αὐτοῖς ἅπαντ' ἐνταῦθ' ἔνι.

Turpis versus in Eurip. Troad. 769.

ἄγετε, φέρετε, ῥίπτετέ νιν, εἰ ῥίπτειν δοκεῖ,

sic corrigendus:

ἀλλ' ἄγετε, φέρετε, ῥίπτετ', εἰ ῥίπτειν δοκεῖ.

§. 147.

Interdum incisio vel non longe a fine versus, vel paullo post initium facta, facit ut duorum versuum numeri arctius coniungantur, atque inde et apostropho locus sit, et synaloephae. Quod primus fecit Sophocles. Oed. Col. 1164.

σοί φασιν αὐτὸν εἰς λόγους ἐλθεῖν μολόντ'
αἰτεῖν, ἀπελθεῖν τ' ἀσφαλῶς τῆς δεῦρ' ὁδοῦ.

Vide Elem. d. m. p. 36. Et in Electra 714.

κτύπου κροτητῶν ἁρμάτων· κόνις δ' ἄνω
'φορεῖθ'· ὁμοῦ δὲ πάντες ἀναμεμιγμένοι.

Haec arctior duorum versuum coniunctio facit, ut etiam voces, quae aliter non facile in principio versus positae reperiuntur, incipere versum possint, ut δῆτα. Vide quae adnotavi ad Soph. Ai. 965. De alia continuati cum altero versu numeri ratione vide §. 161.

§. 148.

Ad mensuram quod attinet, Porsonus ad Eurip. Hec. 347. et in Supplem. praef. ad Hec. p. 30. seqq. observavit, raro tragicos ante quintam arsin vocem ex pluribus syllabis longa syllaba terminare, ut ap. Eurip. in Ione v. 1.

Ἄτλας ὁ χαλκέοισι νώτοις | οὐρανόν.

Quo sane durior fit numerus, de qua re disserui ad Eurip. Hec. 341. Sed conditiones, quibus indulgent sibi hanc rationem disponendorum verborum, non perspexerat Porsonus. Sunt autem tres. Vna, ubi res ipsa videtur numerum maiore cum pondere et difficultate incedentem requirere, ut in exemplo, quod attuli: quod parum considerate corrigi voluit Porsonus in epistola ad Dalzelium: vide Museum crit. Cantabr. III. p. 332. Secunda videtur esse propter nomen proprium, ut in Persis Aesch. 321.

νωμῶν, ὅ τ' ἐσθλὸς Ἀριόμαρδος, Σάρδεσιν.

Tertia denique, eaque omnium frequentissima, interpunctio praegressa in tertia thesi, vel, quod rarum, in tertia arsi. Eurip. Hec. 511. Rhes. 715.

σπεύδωμεν, ἐγκονῶμεν· ἡγοῦ μοι, γέρον.

βίον δ' ἐπαιτῶν εἶρπ', ἀγύρτης τις λάτρις.

Haec enim interpunctio quum versum in ordines §§. 142. et 143. indicatos dirimat, natura sua longius morari vocem postulat in quarta thesi. Illud autem recte animadvertit Porsonus, ubi ἂν in quinta arsi est, praegresso verbo, cuius ultima eliditur, duas voces unius instar esse, eoque talia exempla non obstare regulae suae, ut ap. Eurip. Phoen. 1620.

ἐγὼ δὲ ναίειν σ' οὐκ ἐάσαιμ' ἂν χθόνα.

Quamquam horum quoque exemplorum nonnulla ab interpunctione ista praesidium habent, ut Soph. Electr. 413.

εἴ μοι λέγοις τὴν ὄψιν, εἴποιμ' ἂν τότε.

In quinta arsi interpunctio est in Oed. Col. 505.

τοὐκεῖθεν ἄλσους, ὦ κόρη, τοῦδ'· ἢν δέ του.

Vide ibi adnotata.

§. 149.

Anapaestum tragici non nisi in nomine proprio sibi indulserunt, excepto ultimo pede, qui semper purus iambus esse debet. Et usque ad Olymp. LXXXIX. quidem in iis tantum nominibus propriis anapaestum admiserunt, quae aliter versui plane non possent aptari; post eam Olympiadem etiam in illis, in quibus alia collocatione verborum declinare anapaestum licebat, ut Eurip. Hel. 87.

Τελαμών· Σαλαμὶς δὲ πατρὶς ἡ θρέψασά με.

§. 150.

In primo pede tamen quaecumque vox facere anapaestum potest: sed is anapaestus in antiquiore tragoedia non poterat ex pluribus vocabulis constare, neque debebat ex accessione augmenti in verbis natus esse. Post eam Olympiadem autem, quam dixi, etiam plura verba et augmentum facere anapaestum in primo pede potuerunt, ut in Eurip. Or. 888. ed. Pors.

et in Herc. fur. 458. augmentum quidem, ubi gravior vis in verbo est:

ἐπὶ τῷδε δ' ἠγόρευε Διομήδης ἄναξ.
ἔτεκον μὲν ὑμᾶς, πολεμίοις δ' ἐθρεψάμην.

Vide quae dixi in praef. Eurip. Hec. p. 56. et in Elem. d. m. p. 121. et in praefatione Baccharum.

§. 151.

Augmentum, ut Seidlerus observavit, omittere licuit tragicis in iis locis, qui ad epicorum exemplum conformati sunt, quales sunt nuntiorum narrationes, quae *ῥήσεις ἀγγελικαὶ* vocantur: unde aliquot versus anapaesto, qui eos vitiabat, liberantur. Vide praefationem Baccharum.

§. 152.

Porro tribrachi usus in recentiore tragoedia multo frequentior, maiorque omnino in numeris negligentia: ut etiam tribrachum, qui pro trochaeo est, non quemadmodum antiquiores poetae, una voce aut saltem praepositione et nomine comprehendi, v. c. *δι' ἐμέ, ὑπὲρ ἐμοῦ, διὰ μάχης*, sed ex pluribus cuiuscumque generis vocabulis fieri passi sint: ut Eurip. Or. 27. 47. 99.

οὐ καλόν· ἐῶ τοῦτ' ἀσαφὲς ἐν κοινῷ σκοπεῖν.
μὴ πυρὶ δέχεσθαι, μήτε προςφωνεῖν τινά.
ὀψέ γε φρονεῖς εὖ, τότε λιποῦσ' αἰσχρῶς δόμους.

§. 153.

Satyricus trimeter servat gravitatem tragici in iis, quae personae heroicae loquuntur: sed quoniam hoc genus fabulae gravitatem cum risu coniungit, licuit etiam anapaestum non modo in primo pede, etiam ex pluribus vocibus constantem, sed in medio quoque versu quocumque in vocabulo usurpare, sed tantummodo in Satyrorum aliarumque huiusmodi personarum sermonibus. Vide praefationem Cyclopis.

§. 154.

Comicus trimeter minus servat caesuram in quiuto semipede, anapaestum autem, praeter ultimum pedem, ubique admittit. Aristoph. Vesp. 973.

κατάβα, κατάβα, κατάβα, κατάβα, καταβήσομαι.

Sed non probatur in secunda brevium syllabarum terminata vox, quae in dactylum exit. Vt in Plaut. Asiu. IV. 1, 26.

tecum úna postea aéque pocula pótitet.

Quod scribendum ***pocla***.

§. 155.

In eodem versu non curatur, quemadmodum in tragico, ut ante quintam arsin vocabulum ex pluribus syllabis brevi syllaba terminetur. Aristoph. Acharn. init.

ὅσα δὴ δέδηγμαι τὴν ἐμαυτοῦ καρδίαν.

§. 156.

Quae mota est quaestio, an, si quartus pes anapaestus est, vocabulum finiri in prima brevium syllabarum possit, non minus ad reliquos pedes pertinet. Et quum non dubitandum sit, id quod oblivisci plerumque metrici solent, quiu poetae sensum suum atque aurium iudicium potius, quam regulas, quae demum ex ipsorum exemplis haustae sunt, consuluerint: sic statuendum videtur, indulsisse eos sibi istam verborum divisionem, ubi ita comparata esset oratio, ut verba non potuerint non in pronuntiando arcte coniungi, ut in Nub. 71.

ὥςπερ Μεγακλέης, ξυστίδ' ἔχων· ἐγὼ δ' ἔφην.

Eoque referenda videntur etiam talia, ut iu Lysistr. 768.

μὴ στασιάσωμεν· ἔστι δ' ὁ χρησμὸς οὑτοσί.

Non autem tulisse, ubi vel interpunctio, personaeve mutatio pausam in ea syllaba fieri postularet, ut in Av. 1497. Vesp. 1369.

ἐμοῦ κατόπιν ἐνταῦθα; Π. μὰ τὸν Δί', ἐγὼ μὲν οὔ.

τῶν ξυμποτῶν κλέψαντα; Φ. ποίαν αὐλητρίδα;

quorum in altero articulus delendus, alter autem numerosior erit si ***τὴν αὐλητρίδα*** scribatur; vel nihil esset, quod verba

arcte coniungi postularet, ut in Ran. 1307. in Lysistr. 838. in Nub. 63.

πρὸς ἥνπερ ἐπιτήδεια τάδ' ἔστ' ᾄδειν μέλη.
ἔγωγε· κἄστιν οὑμὸς ἀνὴρ Κινησίας.
περὶ τοὐνόματος ἐντεῦθεν ἐλοιδορούμεθα.

Cuiusmodi versus non dubium videtur, quin corrupti putandi sint.

§. 157.

Anapaesti admissio in trimetro comico facit, ut non ubique cum eo pede cohaerere possint tribrachus et dactylus, ut significatum est §. 133. Eius rei triplex ratio est. Dipodiis ex grammaticorum sententia, ordinibus ex nostra descriptis, fieri potest ut hi pedes consocientur:

⏑–́ | ⏑–́ | ⏑ –́ | ⏑–́
| ⏑⏑́⏑ | ⏑⏑–́ | ⏑–́

⏑ | –́ ⏑ –́ ⏑ | –́⏑–́
| –́⏑⏑⏑́⏑⏑ | –́

Ictibus e grammaticorum sententia positis, numeri perversitas oritur, trochaeo in proceleusmaticum mutato:

⏑ | –́⏑ | ⏑́⏑⏑⏑ | –

Positi autem ex nostra sententia ictus repugnant doctrinae grammaticorum, iambo mutato in proceleusmaticum:

⏑–́ | ⏑⏑⏑́⏑ | ⏑–́

Atqui Latini poetae, qui quomodo notandi sint ictus non dubium relinquunt, ingenti exemplorum copia nostram rationem confirmant. Rara apud Graecos exempla sunt, sed eodem ducentia: ut apud Aristoph. Plut. 1011., quem versum afferunt Photius et Thomas M. in *ὑποκορίζομαι*, Suidas in *νηττάριον*, Scholiastes Aristidis ap. Frommelium p. 158. et, ubi *ἂν* deest, in ed. Dind. p. 432. et ap. Platonem in Schol. ad Eurip. Hec. 838 (821. ed. Matth.).

νηττάριον ἂν καὶ φάττιον ὑπεκορίζετο.
οὗτος τίς εἶ; λέγε ταχύ· τί σιγᾷς; οὐκ ἐρεῖς;

Nemo enim in prima, non in secunda proceleusmatici syllaba ictum notabit. Itaque iure statuemus, dactylo trochaei vicem tenenti recte succedere tribrachum, qui quidem ictum in prima syllaba habeat.

§. 158.

Secunda ratio haec est:

⏑ –́ | ⏓ –́ | ⏓ –́ | ⏑ –́
⏑ ⏑́ ⏑ | ⏑ ⏑ –́ |

⏑ ⏑ | –́ ⏑ –́ ⏓ | –́ ⏑ –́
⏑ ⏑ | ⏑́ ⏑ ⏑

Hic si ex grammaticorum sententia ictus ponnntur, pariter pervertitur numerus, trochaeo mutato in procelensmaticum:

⏑ | ⏑́ ⏑ ⏑ ⏑ | –

sin ex nostra sententia, laborat grammaticornm descriptio, iambo in procelensmaticum mntato:

⏑ ⏑ ⏑́ ⏑ | ⏑ –́

At hic quoque non dnbia auctoritate Latini poetae a nostris partibus stant. E Graecis poetis non habeo exemplum huius formae, qnod ita certum sit, ut correctionem excludat. Aristoph. Thesm. 285. Damoxenus apud Athenaeum III. p. 103. A.

τὸ πόπανον, ὅπως λαβοῦσα θύσω ταῖν θεαῖν.
ἐνίοτε δ' ἀφεστὼς παρακελεύομαι, πόθεν.

§. 159.

Tertia ratio est haec:

⏑ –́ | ⏑ –́ |
– ⏑́ ⏑ | ⏑ ⏑ –́

Ea non repugnat legibus grammaticorum, sed aperte vitiat numerum, proceleusmaticum pro trochaeo exhibens:

–́ | ⏑́ ⏑ ⏑ ⏑ | –́

Eaque ratio neque apud Graecos, neque apud Latinos, nisi in paucis, iisque corruptis, aut per synecphonesin adiuvandis locis invenitur. Cuiusmodi sunt, ubi *beneficium*, *maleficium* quattuor syllabis pronuntiantur. Nam ut *bene* et *male* extrita priore vocali videntur protulisse, ita etiam dixerunt vulgo *bneficium*, *mleficium*. Terent. Eun. I. 2, 69.

cupio áliquos parere amícos benefició meo.

Tractarunt hanc rem omnem Reisigius in Coniect. p. 86. Dobraeus in Aristophanicis (p. 126.) et cupidus defensor Reisigii Hanovius in Exerc. crit. in comicos Gr. c. IV. p. 90. seqq. cui respondit Frankius in Jahnii Annal. 1832. I. p. 44. et parum apte Ritterus in Diurn. schol. 1830. n. 142.

§. 160.

Vna tamen conditione Graeci comici id, quod ad numerorum rationem pravum videtur, proceleusmaticum dico pro trochaeo, interdum non dubitarunt admittere: sed ea conditio talis est, ut removeat perversitatem numeri. Nam versu caesuram habente in fine secundi pedis, arsin huius pedis solvunt, etiamsi qui deinde sequitur ordo, a disyllaba anacrusi incipiat: recte, quia sic iam non secunda arsis cum sequentibus syllabis ut cum thesi sua cohaeret, sed istae syllabae novi numeri anacrusis sunt:

⏑ –́ ⏑ – | ⏑⏑ –́ ⏑ – ⏑ –́ ⏑ –
⏑⏑

Aristoph. Ach. 47.

ἀλλ' ἀθάνατος· ὁ γὰρ Ἀμφίθεος Δήμητρος ἦν.

Pac. 246.

ἰὼ Μέγαρα, Μέγαρ', ὡς ἐπιτρίψεσθ' αὐτίκα.

Vide Nub. 663. Ach. 928. Av. 108. Eccles. 315. Id igitur eadem lege, eodemque iure fit, quo in pluribus una perpetuitate continuatis versibus eum, qui soluta arsi finitur, disyllaba anacrusis potest excipere, ut in Acharn. 404.

Εὐριπίδη, Εὐριπίδιον,
ὑπάκουσον, εἴπερ πώποτ' ἀνθρώπων τινί.

Nisi priori versiculo addendum quod sequitur *ἀλλ' οὐ σχολή*, ut voluit Fritzschius.

§. 161.

Verbum inter duos versus per iocum divisisse dicitur Eupolis ap. Heph. p. 14 (27.).

ἀλλ' οὐχὶ δυνατόν ἐστιν· οὐ γὰρ ἀλλὰ προ-
βούλευμα βαστάζουσι τῆς πόλεως μέγα.

Id nullo pacto credi potest. Immo videtur Eupolis ultima versus syllaba in duas breves soluta scripsisse:

ἀλλ οὐχὶ δυνατόν ἐστιν· οὐ γὰρ ἀλλά τι προ-
βούλευμα βαστάζουσι τῆς πόλεως μέγα.

Sic etiam Aristophanes Ran. 1203.

καὶ κωδάριον καὶ ληκύθιον καὶ θυλάκιον
ἐν τοῖς ἰαμβείοισιν.

Apertum est hoc non posse fieri nisi quum omnia uno tenore pronuntiantur.

§. 162.

Spondeum Graeci numquam in sede pari, i. e. secundo, quarto, sexto pede admiserunt; Latini saepe in secundo et quarto, numquam in sexto: sed curant illi plerumque, ut ne offensionem faciat spondeus, quemadmodum in Ennii versu,

palám mutire plébeio piáculum est.

vel in Plauti Mil. II. 6, 22.

nisi míhi supplicium vírgarum de té datur:

quem emendavit Bentleius ad Terent. Adelph. IV. 2, 52. Ennii versus elegantior fieret hoc ordine verborum, *plebeio est piaculum.* Vide §. 79. 100.

§. 163.

Rarius Latini veteres abiecta finali *s* brevem vocalem corripiunt in extremo pede senarii, ut Plautus in Rud. II. 6, 28.

eheu, Palaestra, atque Ampelisca, ubi estí nunc?

CAP. XV.

De trimetro iambico claudo.

§. 164.

Trimeter claudus, quem *σκάζοντα* Graeci vocant ab Hipponacte iambographo nomen habet Hipponactei. Eius eadem ratio est, quae trochaici claudi, de quo cap. VIII., i. e. ultima eius dipodia ex antispasto constat,

◡ –́ –́ ◡

Sed rarior est in priore huius antispasti parte spondeus, multum ille de elegantia numeri detrahens, ut apud Theocritum:

ὁ μουσοποιὸς ἐνθάδ' Ἱππῶναξ κεῖται,
εἰ μὲν πονηρός, μὴ ποτέρχευ τῷ τύμβῳ.

Multo suavior est purus iambus eo loco:

ὡς οἱ μὲν ἀγεῖ Βουπάλῳ κατηρῶντο.

Et sic Latini poetae, qui in hoc metro elegantiae studiosissimi sunt.

§. 165.

Iambographi, quorum proprius est hic versus, plerumque eum nitidissimum fecerunt, rarius utentes solutionibus, et plane abstinentes ab anapaesto, nisi quod Babrius hunc pedem interdum in prima sede adscivit. In antispasto, qui finit versum, nullam omnino admissam esse solutionem credibile est, licet Heliodorus apud Priscianum p. 1327. Hipponactem multa licentius fecisse dicat: sed quos versus eius in hanc rem profert, de iis v. Lindemann. ad Prisc. opera min. p. 391. et meam epistolam p. 398. Ne in quarto quidem pede frequens est solutio, ut in his Phoenicis Colophonii apud Athen. XII. p. 530. E.

οὐ παρὰ μάγοισι πῦρ ἱερὸν ἀνέστησεν.
ὡς δ' ἀπέθαν' ὡνήρ, πᾶσι κατέλιπεν ῥῆσιν.

§. 166.

Tragici prorsus abstinuerunt ab hoc metro neque comici eo usi sunt, nisi forte alludentes ad iambographos, ut Eupolis in *Βάπταις* apud Priscian. p. 1328.

ἀνόσια πάσχω ταῦτα, ναὶ μὰ τὰς νύμφας.

πολλοῦ μὲν οὖν δίκαια, ναὶ μὰ τὰς κράμβας,

respiciens Ananii *ναὶ μὰ τὴν κράμβην*, quod habemus apud Athen. IX. p. 370. B.

CAP. XVI.

De iambico tetrametro catalectico.

§. 167.

Comicis usitatissimus est tetrameter catalecticus, caesuram habens in fine pedis quarti. Hipponax:

εἴ μοι γένοιτο παρθένος καλή τε καὶ τέρεινα.

Sed eam comici saepe negligunt. Tragici ab hoc metro abstinuerunt. Eo metro sunt versus politici recentiorum Graecorum, de quibus v. Bachmanni Anecdot. II. p. 98, 10. et Struve, *über den politischen Vers der Mittelgriechen, Hildesheim* 1828.

§. 168.

Rara solutio est in pede quarto. Aristoph. Thesm. 567.

ἀλλ' ἐκποκιῶ σου τὰς τοκάδας· οὔποτε μὰ Δία σύγ' ἄψει.

Solvi potest autem arsis quarta etiam ubi sequens pes anapaestus est eadem ratione, qua in trimetro secunda arsis, de qua v. §. 160. Aristoph. Nub. 1063.

πολλοῖς· ὁ γοῦν Πηλεὺς ἔλαβε διὰ τοῦτο τὴν μάχαιραν.

§. 169.

Anapaestum in quarto et septimo pede non nisi in nomine proprio concessum iudicavit Porsonus in suppl. praef. ad Hec. p. 39. seqq. Aristoph. Ran. 943. Thesm. 554.

Ἀχιλλέα τίν᾽ ἢ Νιόβην, τὸ πρόςωπον οὐχὶ δεικνύς.
ἐγένετο Μελανίππας ποιῶν, Φαίδρας τε, Πηνελόπην τε.

De septimo pede vera videtur observatio ista: de quarto est, quare dubitandum videatur. Certe credibile est, eo loco alia quoque vocabula, praesertim si similia essent nominibus propriis, anapaestum facere potuisse. Nub. 1427.

σκέψαι δὲ τοὺς ἀλεκτρυόνας καὶ τἄλλα τὰ βοτὰ ταυτί.

Sic ἱππαλεκτρυόνα Ran. 932. Porsonus in his versibus contra libros contractas formas poni volebat. Disseruit de anapaesti usu P. Elmsleius in censura Hecubae ed. Lips. p. 264. seqq.

§. 170.

Latini, qui hunc versum septenarium et comicum quadratum vocant (vide Diomed. p. 514. Rufin. p. 2706. 2707.), asynartetum eum esse voluerunt, id quod etiam Varro apud Rufinum innuere videtur. Quare in arsi quarti pedis et unam brevem syllabam, quae quidem finalis esset vocabuli, et hiatum tolerandum iudicarunt. Plautus Asin. III. 3, 61.

sed sí tibi vigintí minae - argénti proferéntur,
quo nós vocabis nómine? - libértos . non patrónos?
id pótius . vigintí minae - hic ínsunt in crumína.

Terent. Hec. V. 3, 32.

eúm cognovit Myrrhina - in dígito modo me habéntem.

Sed apud Terentium Bentleius, non cogitans, ut videtur, de asynartetis, fere mutavit huiusmodi versus, nisi ubi tribrachum in quarto pede esse putabat, ut Hec. II. 2, 1.

etsí scio ego, Philúmena, meum iús esse, ut te cógam.

§. 171.

Licentia mensurae eadem utuntur Latini comici, qua in ceteris versibus, sed nitidiores tamen plerumque servarunt septenarios, caesura diligentius fere, quam a Graecis factum, custodita, spondeo autem anapaestoque ita tantum in quartam sedem admissis, si pronuntiandi facilitate tolleretur offensio. Neuter pes ferri potest in Plauti Asin. III. 2, 10.

id vírtute huius cóllegae meáque comitáte
factum ést: qui me vir fórtior est ad súfferendas plágas.

Sed si *est* post *collegae* ponatur, ferri poterit spondeus, ut in pronuntiando non multum a trochaeo differens. Anapaestus autem si est in uno integro vocabulo, ultra quartam arsin porrecto, vel in duobus per synaloephen coniunctis, caret vitio, ut in Terentii Eun. III. 5, 55.

satin éxplorata sínt? video esse: péssulum ostio óbdo.

Non etiam, si finitur vocabulum in ipsa quarta arsi. Quare corruptus est versus in Hecyra V. 2, 9.

opórtet: quod si pérficio, non poénitet me fámae.

Contra si arses sunt in vocibus monosyllabis, venia est anapaesto, ut in eadem scena v. 18.

quid mi ístaec narras? án quia non tute ípse dudúm audísti.

§. 172.

Proceleusmaticus, quem Latini, ut §§. 157. 158. dictum est, saepe pro iambo ponunt, etiam in quarta sede invenitur, dum ne prima eius syllaba finalis sit vocabuli eius, in quo tertia arsis est. Terentius Hec. V. 2, 24.

at háec amicae erúnt, ubi, quamobrem advéneris, rescíscent.

§. 173.

Pariter etiam dactylo in ea sede locus est. Terent. Hec. V. 3, 34.

Philúmenam esse cómpressam ab eo, et fílium inde hunc nátum.

§. 174.

Vbi neglecta est caesura, nihil offensionis habere spondeus aut anapaestus putatur. Terent. Hec. II. 2, 12.

aut éa refellendo aút purgando vóbis corrigémus.

Phorm. V. 3, 11.

ut póssis cum illa: né te adulescens múlier defetíget.

§. 175.

Non censetur in quarta sede spondeus esse brevi finali in *s* exeunte ante vocem a consonante incipientem. Plautus Truc. I. 2, 52.

procáciores éstis vos, sed illí periurióst.

§. 176.

In septimo pede spondeus Latinis usitatissimus est, pariterque dactylus, ac tribrachus. Saepissime enim hi ultimam arsin in hoc versu solvunt, quod Graeci non fecerunt, licet Hephaestio scribat p. 15 (29). recipere metrum iambicum *ἐπὶ τῆς τελευταίας, ὅτε καταληκτικόν, τὸν ἴαμβον παραλήγοντα ἢ σπανίως τρίβραχυν, ὥςτε γίνεσθαι τὴν κατακλεῖδα ἤτοι ἀμφίβραχυν ἢ βακχεῖον,* quorum ultima aperte falsa sunt.

§. 177.

Anapaestum eo in pede ea conditione admiserunt, ut ne prima eius syllaba finalis esset vocabuli eius, in quo sexta arsis esset. Quare emendandus est versus Plauti in Persa II. 4, 9.

servam óperam, linguam líberam-herús me iussit habére.

Sed recte se habent tales, ut Terentii in Adelph. IV. 5, 78. et Hec. V. 1, 16.

sed césso ire intro, né morae meis núptiis egomét sim.

nam quí post factam iniúriam purgét, purum mihi prósit.

Sic enim scribendum videtur. Vide Elem. d. m. p. 157.

§. 178.

Proceleusmaticum quoque eadem conditione saepius inveniri licet. Plautus Asin. II. 4, 24.

dormítis intereá domi, atque herus in hara, haud aedibus hábitat.

CAP. XVII.

De iambicis tetrametris acatalectis.

§. 179.

Tetrameter acatalectus, ab inventore Boisco dictus Boiscius, Graecorum tragicis comicisque non est usitatus. Ex Alcaeo exemplum affert Hephaestio:

δέξαι με κωμάζοντα, δέξαι, λισσομαί σε, λίσσομαι.

§. 180.

Romanorum vero et comici et, de quibus id negabat Bentleius ad Cic. Q. Tusc. I. 44. II. 15. tragici multum usi sunt hoc metro. V. Elem. d. m. p. 158. seq. Vocatur autem Latinis octonarius.

§. 181.

Caesuram habet hic versus duplicem. Plautus fere in quarta arsi incidit, eaque caussa metrum hoc voluit asynartetum esse, hiatu et brevi syllaba indicante. Vt in Amphitr. III. 4, 5. Bacch. IV. 9, 9.

ille návem salvam núntiat, - aut irati adventúm senis.

o Tróia, o patria, o Pérgamum, - o Príame periisti, senex.

Terentio non sunt asynarteti hi versus, quod is caesuram in thesi, quae quartam arsin sequitur, facere solet.

§. 182.

Vbi in arsi quarta caesura fit, pes quartus purus iambus esse debet, quemadmodum octavus semper purus servatur. Sed ubi negligitur haec caesura, et spondeo locus est et dactylo et anapaesto et proceleusmatico. Plaut. Amph. III. 4, 14. Ter. Andr. I. 3, 5. 4, 7. Eun. III. 5, 30.

nunc Ámphitruonem vólt deludi méus pater: faxó probe.
si illúm relinquo, eius vítae timeo; sín opitulor, huíus minas.
sed quídnam Pamphilum éxaminatum vídeo? vereor quíd siet.
edícit ne vir quísquam ad eam adeat: ét mihi ne abscedam ímperat.

Talem vero anapaestum vix credibile est admissum esse, qualis est in Terent. Andr. III. 5, 7.

qui súm pollicitus dúcere? qua fidúcia id facere aúdeam.

Mirum ni poeta sic scripserit:

qui súm pollicitus dúcere? qua id aúdeam fidúcia?

§. 183.

Vltimum pedem purum iambum esse necesse est, nisi ubi continuatur numerus cum sequente versu, quo facto et aliis pedibus, et solutioni arseos locus est. De qua re mox dicetur §§. 188. 189.

CAP. XXIII.

De continuatione numeri trochaici apud Romanos.

§. 184.

In Romanorum comoediis saepe mutantur metra, ita ut trochaicis versibus iambici, iambicis trochaici inserantur, omninoque plures numeri trochaici formae consocientur. Quae res instituta videtur ex parte ad exemplum systematum, quibus Graeci utuntur, sed minus severa compage, modo perpetuato per plures versus numero, modo non perpetuato.

§. 185.

Verum non temere mutatur numerus: qua in re saepe peccavit in Terentio Bentleius: sed propter idoneam caussam. Sic ubi ex alacriore colloquio ad narrationem sedatiorem transitur, ut in Curcul. V. 2, 37. aut ubi epistola recitatur, quae res quod omni motu caret, trimetri adhibentur, ut in Bacch. IV. 9, 74. in Pseud. IV. 2, 41. in Persa IV. 3, 32. Etiam sententiae et proverbia trimetris proferuntur, ut in Capt. II. 1, 6. 8. Stich. II. 1, 28. Et iusiurandum Rud. V. 2, 71. Tum mutatur etiam numerus, ubi ratio sermonis mutatur, nunc discedente aliqua persona, ut in Heaut. V. 2, 25. Hec. IV. 1, 51. Adelph. II. 1, 43. IV. 5, 73., nunc adveniente, ut in Heaut II. 4, 26. Phorm. II. 1, 23. quo facto etiam unus alius versus inseritur, ut in Andr. II. 1, 18. Omninoque mutari numerus solet, ubicumque aliquid incidit, quare forma colorque orationis repente alius fiat. Vide Andr. III. 2, 17. 18. Hec. II. 1, 20. Phorm. I. 3, 25. 26. V. 1, 15. 20. Eun. IV. 6, 15. seqq. Tum etiam, ubi enumeratio fit multarum rerum, vel alia descriptio inseritur, ut in Capt. IV. 1, 1. seqq. Andr. I. 5, 25. seqq. Adelph. III. 2, 4. seqq. Saepe etiam in fine scenae, capto aliquo consilio, ut in Andr. I. 5. IV. 1. Heaut. V. 2.; vel in initio, increscente aut de-

crescente animi motu, ut Eun. V. 8. Adelph. III. 1. Hec. IV. 3. Denique saepius eodem in loco mutantur numeri, ubi variis motibus in diversa trahuntur animi.

§. 186.

Sed haec mutatio numerorum ita fere fieri solet, ut perpetuari numerus videatur. Vnde Bentleius ad Andr. II. 1, 7. Eun. II. 1, 12. Adelph. II. 1, 11. contendit, trochaicos octonarios semper a trochaicis versibus, septenarios ab iambicis excipi. Rectius dicas, qui versus perpetuitate aliqua cohaereant, eorum hanc debere rationem esse, ut thesi terminatum versum versus trochaicus, arsi autem terminatum iambicus sequatur.

§. 187.

Perpetuitas autem illa rarius apud Latinos fit per *συνάφειαν*, i. e. ut excludatur syllaba anceps in fine versus, admittaturque et solutio ultimae, et pars verbi sequenti versui adiiciatur. Quod ubi sine elisione fit, versus nascuntur hypermetri, quales Bentleius ad Eun. IV. 1, 11. in trochaicis, ad Heaut III. 3, 13. autem, et tacite ad Phorm. I. 4, 10. in iambicis numeris inveniri negat. Recte, quod ad trochaicos versus attinet; non recte, quod ad iambicos. Nam quum et trochaici et iambici versus numerum habeant eumdem, qui trochaicus est, eumque incedentem per ordines periodicos duplices, i. e. per dipodias trochaicas, violatur haec dimensio, ubi ad versum trochaicum adiicitur syllaba,

∠∪–∪ | –

non violatur, ubi ad iambicum,

∪∠∪– | ∪

quia hic numerus sic metiendus est,

∪ | ∠∪–∪

Pariterque etiam sequens versus vitiatur, prima eius syllaba praecedenti versui trochaico addita. Remanet enim de dipodia trochaica amphibrachus:

∠∪–∪ | ∠‖∪–⏓ | ∠∪–∪ | ∠

Non vitiatur, iambico versui praecedenti addita syllaba, quia integri manent ordines trochaici:

⏒–́⏑– | ⏒||–́⏑– | ⏒–́⏑–

i. e. recte descriptis ordinibus:

⏒ | –́⏑–⏒||–́⏑–⏒ | –⏑–

§. 188.

In his autem iambicis hypermetris ultimus iambus, quia iam non ultimus pes est, sed medius aliquis, spondeum ceterasque varietates admittit. Plaut. Amph. V. 1, 15.

ut iácui, exsurgo: ardére censui àédis: ita tum cónfulgebant.
ibi me inclamat Álcumena: iam éa res me horrore áfficit.

§. 189.

Eadem est finiendi versus iambici ratio, ubi elisio fit in sequentem versum, quo facto versus non est hypermeter, sed quia numerus cohaeret cum sequente versu, mensuram ultimus pes eamdem, quam quisque medius pes, habet. Heaut. III. 3, 13.

ego dé me facio cóniecturam: némo est meorum amícorum hodie,
apúd quem exprómere ómnia mea occúlta, Clítipho, aúdeam.

§. 190.

Clausulas Latini dicunt versus breviores longioribus eiusdem generis admixtos, et plerumque cum iis numeri perpetuitate cohaerentes. Vsi sunt iis etiam Graeci, ut Aristoph. Nub. 221. Ach. 404. 407. Rufinus p. 2707. observat, aliquando etiam initium ab iis fieri, ut apud Attinm:

an háec iam obliti súnt Phryges.

§. 191.

Non omni ex parte vera sunt, quae de his Bentleius dicit in schediasmate de metr. Ter. Nam clausulae aut cohaerent cum aliis versibus perpetuato numero, aut non cohaerent: si non cohaerent, satis est constare eas ex versibus

catalecticis vel acatalectis: sin cohaerent, uno dipodiarum tenore cum versibus, quibus iunctae sunt, continuari debent. Itaque quam ex Caecilio clausulam affert Rufinus,

di boni quid hoc,

si fuit clausula, aut *boni* monosyllabum esse debuit, ut versus esset monometer acatalectus, aut corripiebatur *hoc*, numero cum sequente versu perpetuato. Sed fortasse non magis haec fuit clausula, quam fuisse videtur quod idem ex Terentii Adelph. IV. 4, 1. affert,

discrúcior animi, | *hocíne mihi malí de improviso óbiici.*

de quo v. Elem. d. m. p. 432. Quamquam haec Terentiana per numeros quidem ferri posset, si trochaicus versus sequeretur: quia quum hypercatalectus sit hic versiculus, iambicus tamen est, qui, si hypermeter est, non tollit incessum per dipodias trochaicas, quod non est in illo Caecilii, si is quinque plenis syllabis pronuntiatur: v. §. 187.

§. 192.

Continuati numeri in clausulis haec exempla sufficiant: Eun. II. 3, 1.

óccidi:
neque virgo est usquam, néque ego, qui illam e cónspectu amisí meo.

Ibidem II. 1, 2.

fíet: at matúre . fiet . sátine hoc mandatúmst tibi? ah
rogitáre, quasi difficile sit.

Plures clausulae coniunctae Eun. II. 3, 7.

néscio quid de amóre loquitur . ó infortunatúm senem.
hic véro est, qui si occéperit,
ludúm iocumque dícas fuisse illum álterum,
praeut húius rabies quáe dabit.
ut illúm di deae omnes sénium perdant, qui hódie me remorátus est.

§. 193.

Non perpetuati numeri exemplum est in Andr. III. 2, 37.

quid ais? quum intelléxeras
id consilium cápere, cur non díxti extémplo Pámphilo?

Sed scribendum videtur *id eós consilium cápere.*

§. 194.

Rarissima sunt exempla clausulae in trochaeum exeuntis. Terent. Hec. V. 1, 5.

aggrédiar, Bacchis, sálve.
B. *salvé, Lache* L. *edepol crédo te nonníl mirari, Bácchis.*

CAP. XIX.

De versibus Creticis.

§. 195.

Creticum numerum musici et metrici, mensurae tantummodo rationem habentes, ad paeonicum genus referunt. Nam una longa syllaba tribus brevibus iuncta, quattuor paeones procreat; duabus autem harum brevium in unam longam contractis, Creticus, Bacchius, et palimbacchius nascuntur. Ex his pedibus repudiati sunt paeones secundus et tertius cum palimbacchio; adsciti autem reliqui, paeones primus et quartus, Creticus, Bacchius:

–∪∪∪ ∪∪∪– –∪– ∪––

Nam etsi Dionysius Hal. de comp. Verb. c. 17. palimbacchiaci hoc exemplum posuit,

σοὶ, Φοῖβε Μοῦσαί τε, συμβῶμεν,

tamen vix alibi invenietur hic numerus quam in Pace Aristophanis v. 463. in his:

ὦ εἶα, ὦ εἶα:

quibus respondet v. 491. *μικρόν γε κινοῦμεν.*

§. 196.

Numerum si spectamus, duo illi paeones unius generis sunt; diversi autem ab his Creticus et Bacchius. Paeones enim primi et quarti sola anacrusi differunt, eodem modo ut trochaei et iambi, dactyli et anapaesti:

	–́∪–∪		–́∪∪–∪∪		–́∪∪∪–∪∪∪
∪	–́∪–	∪∪	–́∪∪–	∪∪∪	–́∪∪∪–

Atque ex numeri lege, quia thetica tempora paria esse debent, arsis quidem paeonica solutionem, sed thesis non admittit contractionem. Nam arsi soluta ex quinque paribus temporibus constat hic pes, in thesi autem contractione facta, sive ea fiat in duabus prioribus, sive in posterioribus syllabis, nova arsi illata perderetur numerus paeonicus:

–́∪∪∪   –́∪∪∪
–́ –́ ∪   –́∪ –́

§. 197.

Ex quo consequitur, numerum Creticum ad genus trochaicum pertinere, neque aliud esse, quam dipodiam trochaicam catalecticam, quae ex arsi, thesi, et iterum arsi constat. Et quoniam hic ordo periodicus est, apertum est, thesin non posse ancipitem esse, sed semper et necessario ex una tantum brevi syllaba constare: arsin autem utramque solvi posse, quo fit, ut et primus, et quartus paeon, et vero etiam quinque breves pro Cretico poni possint:

–́ ∪ –
∪∪   ∪∪

Pluribus autem pedibus Creticis uno versu coniunctis nullum cum alio cohaerere ordine aliquo periodico, ultimi autem pedis ultimam, ut omnem syllabam finalem, ancipitem esse, et solvi non posse, nisi in systematis: in quibus quoniam una perpetuitate iuncti sunt numeri, ultimus versuum pes, nisi si simul totius systematis ultimus est, eadem lege, qua quisque medius, tenetur.

§. 198.

Solutiones Creticum adeo similem reddunt paeonibus, ut distingui ab iis non nisi eo possit, quod paeones, ut §. 196. demonstratum est, Creticum plane adspernantur. Ac numerus sane utriusque generis diversissimus est. Nam paeones unam arsin cum thesi trium brevium syllabarum coniunctam habent, Cretici autem arses duas, inter quas media est thesis unius brevis syllabae. Quare paeon, qui vere paeon est, valde diversus est ab eo paeone, qui solutione nascitur. Hic enim, ut ipse Creticus, duas arses habet, et thesin unius temporis; ille unam arsin, thesin autem trium temporum. Deinde Cretici, ut §. 197. ostensum est, non cohaerent inter se ordinibus periodicis; paeones autem omnino ita cohaerent, et plerumque quidem, trochaicorum dactylorumque nnmerorum exemplo, dipodiis:

⏑́⏑⏑⏑–⏑⏑⏑   ⏑⏑⏑⏑́⏑⏑⏑–

Quare sic statuendum est, versus omnes, in quibus pes Creticus paeonibus admixtus reperiatur, Creticos esse; qui autem ex puris paeonibus constent, vel esse paeonicos, vel posse esse. Nam Creticus quum pro paeone poni nequeat, semper indicio est numeri non paeonici; paeon autem, qui potest pro Cretico poni, per se ambiguus manet, utrum re vera paeon, an solutio Cretici sit. Quod nisi fallor et numero et mensura paeones a Creticis diversi sunt. Nam quum difficillimum sit, paeones, quorum thesis ad arsin eam comparationem habet quam 3 ad 2, ita recitare, ut non acuenda paullum media trium brevium syllaba in Creticum numerum incidamus, facilis fit recitatio, si arsin sumimus parem thesi, h. e. tres moras habentem. Ac nescio an eo referri possint haec Aristidis Quintiliani p. 33. *σύνθετος δέ ἐστι χρόνος ὁ διαιρεῖσθαι δυνάμενος. τούτων δὲ ὃ μὲν διπλασίων ἐστὶ τοῦ πρώτου· ὃ δὲ τριπλασίων· ὃ δὲ τετραπλασίων· μέχρι γὰρ τετράδος προῆλθεν ὁ ῥυθμικὸς χρόνος.* Et magis etiam quod Aristoxenus in Elementis rhythmicis p. 303. scripsit: *τέταρτοι δέ εἰσιν οἱ ἐν ἑξασήμῳ μεγέθει· ἔστι δὲ τὸ μέγεθος τοῦτο δύο γενῶν κοινόν, τοῦ τε ἰαμβικοῦ καὶ τοῦ δακτυλικοῦ.*

ἐν γὰρ τοῖς ἐξ τριῶν λαμβανομένων λόγων, τοῦ τε ἴσου καὶ τοῦ διπλασίου καὶ τοῦ πενταπλασίου, ὁ μὲν τελευταῖος ῥηθεὶς οὐκ ἔῤῥυθμός ἐστι· τῶν δὲ λειπομένων (sic pro λεγομένων scribendum) ὁ μὲν τοῦ ἴσου λόγος εἰς τὸ δακτυλικὸν γένος ἐμπεσεῖται· ὁ δὲ τοῦ διπλασίου εἰς τὸ ἰαμβικόν.

§. 199.

Metrici qnidem, qui solam simplicem et dnplicem mensuram admiserant, nihil inter Creticos et paeones diversitatis statuebant. Vtuntur autem Creticis et lyrici, et tragici, et comici; paeonibus primis comici maxime, genere numeri valde volubili et hilari; quartis antem, quorum magna vehementia est, tragici potissimum.

§. 200.

Quoniam pes Creticus per se ordo catalecticus est, plerumque versus Cretici hoc ipso pede terminantur, neque aliam catalexin habent. Sed inveniuntur tamen raro etiam uno trochaeo terminati, qui iure catalectici dici possunt; aut dipodia trochaica, qui hypercatalecti, nt apud Aeschylum in Eum. 324.

κλῦθ᾽· ὁ Λατοῦς γάρ ἴ-
νίς μ᾽ ἄτιμον τίθησιν.

§. 201.

Solutio multo freqnentior est in secunda pedis cuiusque arsi, quam in prima. Perrara est utrinsqne arseos solutio.

§. 202.

Dimetri et tragicis et comicis usitatissimi snnt, coniuncti illi fere in systemata, ita ut ultima versuum syllaba neqne anceps sit, neque hiatum admittat, et solvi possit.

His in systematis etiam monometer adsciscitur. Aeschylus Suppl. 425.

φρόντισον,
καὶ γενοῦ πανδίκως
εὐσεβὴς πρόξενος·
τὰν φυγάδα μὴ προδῷς,
τὰν ἕκαθεν ἐκβολαῖς
δυςθέοις ὀρμέναν.

Vt tragici, ita comici quoque, apud quos frequentia sunt haec systemata, plerumque curarunt, ut antisystemata singulis pedibus responderent, solutionesque in iisdem locis adsciscerentur. Iidem plerumque, ut in hoc Aeschyli exemplo, e binis quibusque pedibus fere priorem, quam posteriorem maluerunt paeonem esse, quia suavior est numerus, qui remissior est in fine, quam qui ex remissiore fortior fit.

§. 203.

Frequens est etiam tetrameter, caesuram habens in fine secundi pedis. Simmias ap. Heph.

μᾶτερ ὦ πότνια, κλῦθι, νυμφᾶν ἁβρᾶν,
Δῶρι, κυμοκτύπων ἦραν ἁλίων μυχῶν.

Idem Simmias neglecta caesura:

σοὶ μὲν εὔιππος, εὔπωλος, ἐγχέσπαλος
δῶκεν αἰχμὰν Ἐνυάλιος εὔσκοπον ἔχειν.

Idem poeta integrum carmen lnsit solutis arsibus:

σέ ποτε Διὸς ἀνὰ πύματα νεαρὲ κόρε νεβροχίτων.

Alii prioribus tantum solutis pedum arsibus:

θυμελικὰν ἴθι, μάκαρ, φιλοφρόνως εἰς ἔριν.

Diversas solutionum formas Aristophanes habet in Georgis ap. Hephaest.

ἐν ἀγορᾷ δ' αὖ πλάτανον εὖ διαφυτεύσομεν.

§. 204.

Hexametro catalectico usus est Alcman, unde Alcmanio huic versui nomen:

Ἀφροδίτα μὲν οὐκ ἔστι, μάργος δ' Ἔρως, οἷα παῖς, παίσδει,
ἄκρ' ἐπ' ἄνθη καβαίνων, ἃ μή μοι θίγῃς τῷ κυπαιρίσκῳ.

§. 205.

Inveniuntur etiam Cretici ab anacrusi iambica incipientes: Aristoph. in Pace v. 1127.

ἥδομαί γ', ἥδομαι
κράνους ἀπηλλαγμένος,
τυροῦ τε καὶ κρομμύων·
οὐ γὰρ φιληδῶ μάχαις.

Vide de hoc versu etiam infra §§. 247. 270.

§. 206.

Multus est Creticorum usus apud tragicos et comicos Romanorum, qui eadem prosodiae licentia qua in reliquis metris utuntur. Vnde sicubi Molossum pro Cretico ponunt, de qua re dixit Bentleius ad Cic. Q. Tusc. III. 19. et Terent. Adelph. IV. 4, 2., ita id faciunt, ut per vulgaris pronuntiationis ambiguitatem delitescat mensurae pravitas. Plautus Capt. II. 1, 11.

aút solutós sinat, quós argento émerit.

Rud. I. 5, 15. 19.

quaéne eiectae é mari ambaé sumus, te óbsecro.
út tuo récipias técto, servésque nos.

Nisi scripsit *in tua ut recipias tecta.*

§. 207.

Quum fere tetrametro hi utantur, saepe versum in duas aequales partes divisum asynartetum fecerunt. Ennius in Andromacha:

quíd petam praésidi aut éxsequar, quóve nunc
aút auxilio éxsili-aút fuga fréta sim?

§. 208.

Plautus, qui versus Creticos saepe aliis numeris intermiscet, in canticis quibusdam et diverbiis, in quibus anti-

strophicam dispositionem animadvertimus, non modo dimetros interdum posuit, sed saepius etiam tetrametros catalecticos, et id quidem quantum iudicari in tanta apparatus inopia potest, tertio pede ultimam habente ancipitem, quarto autem solutionem arseos admittente. Ita in Trinummo II. 1, 17.

dá mihi hoc, mél meum, sí me amas, si aúdis:
íbi tum ille cucúlus: hem, -océlle mi, fíat:
ét istuc, et si ámplius vís dari, dábitur.
íbi pendentém ferit: iam ámplius-órat:
nón satis id ést mali, ni ámpliust étiam,
quód bibit, quód comest, quód facit súmpti.
nóx datur: dúcitur fámilia tóta.

Idem metrum iunctum alibi tetrametris acatalectis.

§. 209.

Iunxit Plautus etiam trochaicum monometrum hypercatalectum Creticis, et quidem nunc ita, ut vel unum vel plures huiusmodi versiculos Creticis admisceret, nunc etiam, ut compositos ex dimetro Cretico et trochaico isto versus faceret. Praeiverant Graeci: ut Aristoph. Ran. 1358.

ἅμα δὲ Δίκτυννα παῖς
Ἄρτεμις καλά.

Sic Plautus in Bacch. IV. 4, 4.

Cállidum senem
cállidis dolis
cómpuli et pérpuli, mi ómnia ut créderet.
múnc amanti hero
fílio senis,
quícum-ego bibo
quícum-edo et amo
régias cópias aúreasque óbtuli,
út domo súmeret, neú foris quaéreret.

In Mostellaria III. 2, 1.

Mélius anno hóc mihi nón fuit domi;
néc quando esca úlla me iúverit magis.
prándium uxór mihi pérbonum dedit.

Et paullo post:

quó magis cógito ego cúm animo meo,
sí quis dotátam habet, néminem sopor
sóllicitat. íre dormítum mihi odio est.
éxsequi cérta res ést, ego ut abeam
pótius hinc ád forum, quám domi cubem.

§. 210.

Clausulas in Creticis inveniri, qualem Bentleius ad Ter. Andr. IV. 1, 12. constituit, ex Cretico et iambico monometro hypercatalecto,

níl opust, ibí verentur,

non est credibile, quum ne illud quidem certum videatur, dimetrum hypercatalectum clausulae loco esse, qualis hic ipse versus foret, ictu in quinta a fine syllaba posito, et quarta correpta: vel qualis in Plauti Amph. I. 1, 82. legitur:

vícimus ví feroces.

CAP. XX.

De numero antispastico.

§. 211.

De antispastico numero metrici prorsus falsa praecipiunt. Quum enim more suo in iis metris, quae non plane refragarentur, ut dactylica, anapaestica, paeonica, quaternas syllabas una dipodia coniungerent, baseosque naturam ignorarent, versus eos, qui vel a basi incipientes, vel alio modo male divisi aliquam istiusmodi dipodiarum speciem prae se ferrent, ad antispastos retulerunt. Ac primo choriambicos cum basi, quos sic diviserunt:

◡––◡	◡––◡	◡––◡	◡–◡–
–◡			
◡◡			
––			

Deinde Glyconeum Pherecrateo iunctum:

∪ – – ∪	∪ – – ∪	∪ – ∪ –	∪ – ∪
– ∪		– ∪	
∪ ∪		∪ ∪	
– –		– –	

Tum Phalaeceum:

∪ – – ∪	∪ – ∪ –	∪ – ∪
– ∪		
∪ ∪		
– –		

Denique duo alio genera, quorum prius hoc est:

∪ – ∪ –	∪ – – ∪	∪ – ∪ –
	– ∪	
	∪ ∪	
	– –	

alterum autem hoc:

∪ – ∪ – | ∪ – – ∪ | ∪ – ∪ – | ∪ – ∪

Hinc praeceperunt primae dipodiae priorem pedem omnes admittere pedes disyllabos, in ceteris dipodiis antispastum servari purum; aliis in generibus pro antispasto in secunda sede diiambum inveniri; in aliis etiam tertiae dipodiae priorem pedem pedes disyllabos omnes recipere; et quae sunt reliqua, quae ex his quas descripsi formis colligi possunt. At haec omnia non modo ratione carent, quia non apparet, cur quod in prima dipodia liceat, non liceat etiam in ceteris, et cur antispastus, qui ab anacrusi iambica incipit, et in thesin trochaicam desinit, non habeat utramque, ut par est, ancipitem: sed etiam numerum praebent adeo fractum, ineptum, et molestum, ut statim aures errorem arguere debeant. Accedit quod Latini grammatici iam veriorem viam ingressi sunt versus istos choriambicis aliisque numeris, non antispastico factos esse intelligentes.

§. 212.

Pes antispastus ex iambo trochaeoque compositus est. Vnde hanc eius mensuram esse apparet:

$\bar{\smile}\ \acute{-}\ \acute{-}\ \bar{\smile}$

$\smile\smile\smile\smile$

Eamque manere necesse est etiam ubi plures antispasti uno versu coniunguntur. Nam ordinibus periodicis copulari antispasti non possunt: quo facto sane syllaba anceps in primi tantum antispasti initio locum habitura esset:

⏒–⏑́⏑⏑–⏑́⏑⏑–⏑́⏑

At enim hic iam non antispasticus, sed choriambicus numerus foret, qui dactylici generis est. Omninoque raro plures antispasti sese excipiunt, quod hic numerus admodum molestum et inconcinnum incessum habet; ut si quis hunc choriambicum cum basi grammaticorum more ita dividat:

κατθνάσκει, Κυ|θέρη᾽, ἅβρὸς |᾽Αδωνις. τί | κε θεῖμεν;

§. 213.

Eam asperitatem ut lenirent poetae, partim antispastum auxerunt una syllaba, quo nascitur dochmius, partim aliis numeris consociarunt, partim solutiones crebras adhibuerunt. Anacrusin etiam ut plurimum brevem servarunt, quia longa in tam imbecillo numero minus grata est, nisi quidem solvatur quae eam sequitur arsis.

§. 214.

Rarus est monometer antispasticus. Aeschylus Sept. ad Theb. 155. 164.

ὦ πότνι᾽ Ἥρα.
ὦ φίλ᾽ Ἄπολλον.

Solvitur autem in omnibus antispasticis versibus saepius prior arsis, quam posterior, quae quia propior fini, quietior esse debet.

§. 215.

Nec dimeter frequens est. Aeschylus Agam. 1151. 1161.

νόμον ἄνομον, οἷά τις ξουθά·
τί δ᾽ ἐπίφοβα δυςφάτῳ κλαγγᾷ.


§. 216.

Trimetro usus videtur Euripides in Herc. fur. 919. subiecto versu e duobus dochmiis facto:

λέγε, τίνα τρόπον ἔσυτο θεόθεν ἐπὶ μέλαθρα κα-
κὰ τάδε, τλήμονάς τε παίδων τύχας.

§. 217.

Saepe, apud tragicos potissimum, antispastus consociatur aliis numeris, iambicis maxime et trochaicis. Ex his iambici fere non sunt ex iis, de quibus supra explicatum est, qui per dipodias incedunt, sed ex alio genere, cognato antispastis. Quod quia ex brevioribus ordinibus constat, et proinde syllabam etiam ancipitem iis in locis admittit, a quibus in dipodiis exclusa est, unde fractus et debilis incessus oritur, ischiorrhogicos iambos vocamus, nomine, quod metrici trimetro Hipponacteo adhibuerunt, huc translato. Eorum prout aut monosyllaba aut disyllaba anacrusis est, hae formae usitatissimae sunt·



Inveniuntur autem hi versus etiam nullo antispasto addito. Exemplo sit carmen antistrophicum in Soph. Electr. 504.

ὦ Πέλοπος ἁ πρόσθεν στρ.
πολύπονος ἱππεία,
ὡς ἔμολες αἰανὴ
τᾷδε γᾷ.
εὖτε γὰρ ὁ ποντισθεὶς
Μυρτίλος ἐκοιμάθη,
παγχρυσέων δίφρων ἀντ.
δυστάνοις αἰκίαις
πρόῤῥιζος ἐκριφθείς,

οὔτι πω
ἔλιπεν ἐκ τοῦδ' οἴκου
πολύπονος αἰκία.

Aeschylus Suppl. 143.

τελευτᾶς δ' ἐν χρόνῳ
πατὴρ ὁ παντόπτας.

Quibus respondent v. 153.

διωγμοῖς ἀσφαλὲς
ἀδμήτας ἀδμήτα.

§. 218.

Additur his etiam aliud genus ex choriambo cum anacrusi monosyllaba et uno iambo compositum:

⏓–́⏑⏑– | ⏓–́

Soph. Trach. 848. et 859.

ἦ που ὀλοὰ στένει,
ἦ που ἀδινῶν χλωρὰν
  τέγγει δακρύων ἄχναν.
ἁ τότε θοὰν νύμφαν
ἄγαγες ἀπ' αἰπεινᾶς
  τάνδ' Οἰχαλίας αἰχμᾶ.

In his etsi per metri legem poni potuit *στένει*, tamen nescio an spondeum, ut *θρηνεῖ*, praetulerit Sophocles, quum plerumque syllabas syllabis respondere voluerint tragici.

§. 219.

Haec igitur genera saepe copulantur antispasto. Nunc sic:

⏓ –́ –́ ⏑́ | ⏑ –́ ⏑–
  ⏑⏑ ⏑⏑ | ⏑⏑

Aesch. Choeph. 383. Agam. 416.

ἐφυμνῆσαι γένοιτό μοι.
βέβακεν ῥίμφα διὰ πυλᾶν.

§. 220.

Nunc hac forma, quae frequentissima est:

⏓ –́ –́ ⏓ | ⏓ –́ ⏑–⏑
⏑⏑ ⏑⏑ | ⏑⏑

Aeschylus Sept. ad Theb. 122. 125. 139. 141.

Ἀργεῖοι δὲ πόλισμα Κάδμου.
κινύρονται φόνον χαλινοί.
ἰχθυβόλῳ μαχανᾷ Ποσειδᾶν.
καὶ Κύπρις, ἅτε γένους προμάτωρ.

Quod genus cavendum ne confundatur cum logaoedicis numeris, ubi a duobus dactylis incipit, ut quem postremum attuli versum. Sic etiam in Persis 288.

ἔκτισαν εὔνιδας ἠδ' ἀνάνδρους.

Monet autem nunc universa stropharum compositio, quo numero sint, nunc antistrophicus logaoedicum numerum repudians, ut in Persis:

ἔθεσαν, αἶ αἶ, στρατοῦ φθαρέντος.

De hoc metro iisque quae §. 222. afferentur, disseruerunt Reisigius in comment. crit. ad Oed. Col. p. 291. Elmsleius ad Oed. Col. 700. Boeckhius in praefat. lectt. aestiv. a. 1827. Gottholdus in Iahnii Annal. 1828. fasc. 3. Recte indicavit Herm. Weissenborn in dissertatione de versibus iambicoantispasticis.

§. 221.

Aliud genus, non illud rarum, hoc est:

⏓ –́ –́ ⏓ | ⏓ –́ ⏑–⏑
⏑⏑ ⏑⏑ | ⏑⏑

Aesch. S. ad Th. 362. 374. Suppl. 390.

τίν' ἐκ τῶνδ' εἰκάσαι λόγος πάρα.
παγκλαύτων ἀλγέων ἐπίῤῥοθον.
μένει τοι Ζηνὸς ἱκταίου κότος.

Quem ex Supplicibus versum posui corruptus est. Dochmio subiectum hunc iambicum vide infra §. 246.

§. 222.

Frequentissimae sunt apud tragicos formae ex iambis istis sine antispasto compositae: quarum quae usitatissimae sunt, has formas habent: Aesch. Ag. 256. Eurip. Alc. 270. Aesch. Ag. 234. 419. Pers. 1023.

1. ◡–́◡–– | ◡–́◡––
2. ◡◡–́◡–– | ◡–́◡––
3. ◡–́◡–– | ◡◡–́◡––
4. ◡–́◡–– | ◡–́◡–◡–
5. ◡–́◡–– | ◡◡–́◡–◡–

τέχναι δὲ Κάλχαντος οὐκ ἄκραντοι.
σκοτία δ' ἐπ' ὄσσοισι νὺξ ἐφέρπει.
γυναικοποίνων πολέμων ἀρωγάν.
ἰὼ ἰὼ δῶμα, δῶμα καὶ πρόμοι.
ὁρᾷς τὸ λοιπὸν τόδε τᾶς ἐμᾶς στολᾶς.

Videtur in his metris posterior pars, certe in postremis duabus formis, ischiorrhogici generis esse, quum, licet rarissime, etiam spondeus pro medio iambo inveniatur. Aeschylus Pers. 1013. dubia tamen scriptura:

πεπλήγμεθ', οἷαι δι' αἰῶνος τύχαι.

Perraro ultima prioris partis syllaba in hoc versuum genere brevis est, ut in Philocteta v. 1217.

Δαναοῖς ἀρωγός· ἔτ' οὐδέν εἰμι.

Vide ad Soph. Electr. 1086.

§. 223.

Coniunguntur antispasto etiam trochaei, sed rarius, ut dipodia trochaica, v. c. in Persis v. 982.

⏓ –́ –́ ⏓ | –́ ⏑ – ⏓
⏖ ⏖ |

τλάμονες ἀσπαίρουσι χέρσῳ·

et tripodia, ut in Choeph. 638. 645.

διανταίαν ὀξυπευκὲς οὐτᾷ.
προχαλκεύει δ' αἶσα φασγανουργός.

Nam etsi hic versus etiam sic potest compositus videri,

⏑–́⏓–́– | ⏑–́⏑–⏑

tamen verba multo elegantiorem pronuntiationem habent hoc metro,

⏓–́–́⏓ | –́⏑–⏑–⏑

§. 224.

Saepe a dactylis ad antispasticum numerum transitur, sed fere ad dochmiacum, de quo infra. Ad antispastum transiisse videri potest Aeschylus Sept. ad Theb. 490.

μαινομέ-νᾳ φρενί, τώς νιν.

Sed verisimilius est, ab antispasto ad iambos et in hoc versu et in eo qui sequitur, transiri:

μαινομένᾳ φρε-νί, τώς νιν
Ζεὺς νεμέτωρ ἐπ-ίδοι κοταίνων,

his formis:

⏓ –́ –́ ⏓ | ⏑–́⏑
⏖ ⏖ |

⏓ –́ –́ ⏓ | ⏑–́⏑–⏓
⏖ ⏖ |

Neutrum enim versum dactylicum esse, omnis strophae compositio arguit.

CAP. XXI.

De versibus dochmiacis.

§. 225.

Vsitatissimum genus antispastorum **dochmiaci** sunt, qui constant ex antispasto hypercatalecto,

⏑–́–́⏑–́

Vide Etym. M. p. 285, 25. de quo loco disputarunt Seidlerus de verss. dochm. p. 401. seqq. et Boeckhius de metris Pindari p. 45. Scholiastes Aeschyli ad S. c. Theb. 129. hunc numerum vocat *ῥυθμὸν ὀκτάσημον,* quia octo tempora habet. Musici duo memorant genera dochmiaca, hoc, quod metrici quoque sic vocant, et illud, quod a metricis Glyconeum appellatur: v. Aristid. Quintil. p. 39.

§. 226.

Quoniam quarta huius metri syllaba anceps est, ex quo eam aut anacrusin, aut thesin esse intelligitur, triplex constitui numerus dochmii potest:

⏑–́– | ⏒–́

⏑–́–́⏒ | –́

⏑–́ | –́ | ⏒–́

Ex his duo priores admodum ingrati et molesti forent: ultimus vero et elegantissimus est, et apprime conveniens agitationi animorum, cui significandae hoc genus versuum adhiberi solet. Vtuntur enim eo lyrici parcius, comici fere ut tragicos rideant, tragici autem tamquam proprio tragoediae.

§. 227.

Coniungi solent a tragicis, eorumque exemplo etiam a comicis, dochmii in systemata, perpetuato numero decurrentia, et plerumque sic, ut duo dochmii uno versu comprehendantur.

Hinc a fine singulorum dochmiorum in medio systemate et syllaba anceps, et hiatus excluduntur, nisi certis conditionibus, de quibus infra: legitima autem est ultimae solutio. Itaque forma dochmii in mediis systematis haec est:

⏑ –́	–́	⏒ –́
⏑⏑	⏑⏑	⏖

variationes complectens triginta duas; in fine systematis, aut sicubi dochmio non alii continuantur numeri haec:

⏒ –́	–́	⏒ –́
⏑⏑	⏑⏑	⏑

ex qua variationes novae sedecim accedunt, ut omnes variationes numero sint octo et quadraginta.

§. 228.

Vbi ultima anceps est in brevem vocalem exire potest vocabulum, si praecedens syllaba brevis est, ut

δώμασι καὶ χθονί.

Vbi longa est praecedens, curatur ut ultima certe in consonantem exeat, quod sic commodius morari in ea vox potest, ut

παραλίαν ψάμμον.
μάνυσον, μᾶτερ.

Vix autem talem versum quisquam probaverit,

πόλιν καὶ δῶμα.

§. 229.

Sunt quaedam classes versuum dochmiacorum, prout vel alacrior numerus, vel lugubrior, vel debilior atque instabilior requiritur. Harum prima has potissimum formas habet:

⏑–́–́⏑–́
⏒–́⏑–́⏑–́

Aesch. S. ad Th. 81.

αἰθερία κόνις με πείθει φανεῖσ',
ἄναυδος σαφὴς ἔτυμος ἄγγελος.

Alterutra de duabus contiguis arsibus longa manente, frequentissime prior, multo parcius altera solvitur. Eurip. Or. 159.

ὕπνου γλυκυτάταν φερομένῳ χάριν.

Difficilior enim incessus numeri est, crescente, quam remittente alacritate. Quare minus displicet utriusque arseos solutio, ut apud Aeschylum l. c.

ῥεῖ πολὺς ὅδε λεὼς πρόδρομος ἱππότας.

§. 230.

Secunda classis ea est, quae penultimam plerumque longam habet: eaque omnino iam maiorem variationum copiam solet admittere. Eurip. Hec. 694. ed. Pors.

ὦ τέκνον, τέκνον, ταλαίνας ματρός,
τίνι μόρῳ θνήσκεις; τίνι πότμῳ κεῖσαι;
πρὸς τίνος ἀνθρώπων;

Hoc genus saepe adhibetur finiendis systematis. Ceterum non facile reperias versum huius formae, qui voce monosyllaba terminetur. Valde enim rudis et inconcinnus hic numerus, veluti,

ἰὼ τλάμων, φεῦ.

§. 231.

Tertia classis continet formas ultimam arsin solutam habentes, quod genus plerumque ex solis brevibus syllabis componitur, alibi autem etiam ancipites longas habet, omninoque fere quasvis variationes admittitit: Eurip. Or. 149.

κάταγε, κάταγε, πρόσιθ', -ἀτρέμας, ἀτρέμας ἴθι·
λόγον ἀπόδος, ἐφ' ὅ τι-χρέος ἐμόλετέ ποτε.
χρόνια γὰρ πεσὼν-ὅδ' εὐνάζεται.

Aeschylus S. ad Th. 209.

ὦ φίλον Οἰδίπου τέκος, ἔδεισ' ἀκού-
σασα τὸν ἁρματόκτυπον ὄτοβον, ὄτοβον,
ὅτε τε σύριγγες ἔκλαγξαν ἑλίτροχοι.

Quaedam formae perraro inveniuntur, ut haec,

⏓⏑́⏑́⏑–⏑́⏑

Soph. Oed. R. 661. 690.

θεὸν πρόμον Ἅλιον.
ἅπαξ μόνον· ἴσθι δέ.

§. 232.

Quum bini fere dochmii uno versu coniungantur, non est necesse, ut singuli pleno vocabulo terminentur, sed saepe dispescuntur voces, et plerumque quidem ut finiantur vel in prima secundi, vel in penultima primi dochmii syllaba. Aesch. Prom. 576. S. ad Th. 489.

ὑπὸ δὲ κηρόπλαστος ὀτοβεῖ δόναξ.
ὡς δ' ὑπέραυχα βάζουσιν ἐπὶ πτόλει.

In antistrophicis versibus eadem plerumque, quae in strophicis, divisio servatur. Etiam ubi solvuntur longae, saepe prior dochmius in prima vocabuli syllaba finitur. In Rheso v. 131.

τάδε δοκεῖ, τάδε με-ταθέμενος νόει.

§. 233.

In mediis systematis interdum ultima dochmiorum anceps est, et pariter hiatum ac brevem syllabam pro longa admittit. Hoc non modo in interiectionibus fit, ut *ἒ ἕ, ἰὼ ἰώ, ἰδοὺ ἰδού*, sed etiam in allocutionibus per vocativum: Eurip. Her. fur. 875.

σὸν ἄνθος, πόλις, ὁ Διὸς ἔκγονος.

Et ubi idem verbum repetitur, vel ante repetitionem, vel post

eam, quia utroque loco in recitando pausa fieri solet: Soph. Antig. 1323. 1319.

ἄγετέ μ' ὅτι τάχος, ἄγετέ μ' ἐκποδών.
ἐγὼ γάρ σ', ἐγὼ ἔκανον, ὦ μέλεος.

Euripides Androm. 844. fortasse scripsit:

ἀπόδος, ὦ φίλος, ἀπόδος, ἀνταίαν.

Deinde ubi persona mutatur, ut in Hippol. 572., ubi sequentem versum alia ex choricis mulieribus habet: v. Elem. d. m. p. 249. Interdum propter sequens nomen proprium. Aesch. Agam. 1152.

ἀκόρετος βοᾶς, φεῦ, ταλαίναις φρεσὶν
Ἴτυν Ἴτυν στένουσ' ἀμφιθαλῆ κακοῖς.

Prior horum versuum a dochmiaco hypercatalecto incipit.

§. 234.

Saepe vero etiam, ubi anceps in fine, aut hiatus invenitur, cavendum ne, quae plura systemata sunt, unum esse credamus. Quoniam enim non solent catalexin habere, saepe finis systematis ex sensu tantum atque interpunctione colligendus est. Sic in Aesch. Choeph. 935. tres dochmii systema faciunt: inde aliud incipit systema dochmiacum. V. Elem. d. m. p. 250.

§. 235.

Hiatum, qui fit in correpta longa vocali vel diphthongo, saepe licet admissum videre in utraque brevi solutae primae arseos: Soph. Ai. 349. Electr. 245.

μόνοι ἐμῶν φίλων.
γᾶ τε καὶ οὐδὲν ὤν.

V. Seidl. p. 95. seqq. Nec dubitandum videtur, quin etiam ultima arsis, ut quae primae simillima sit, hanc licentiam ferat: velut si quis tales versus faciat:

μόνοι γάρ, μόνοι ἔτ' ἐμὲ φυλάσσετε,
μόνοι δ' ἐστέ, μόνοι ἐμῶν ἠθάδων.

Sed secunda arsis adspernatur hiatum, quia solitaria est, et neque cum thesi ulla neque cum anacrusi cohaeret, ictumque habet fortiorem. Ac valde invenustus foret talis versus:

φίλων μόνοι ἐμῶν βέβαιοι ἔτ' ἐμοί.

§. 236.

Eadem hiatuum ratio in iambico ischiorrhogico obtinet. Soph. Trach. 848. seq.

ἦ που ὀλοὰ στένει,
ἦ που ἀδινῶν χλωράν.

§. 237.

Inveniuntur dochmiaci anacrusin habentes in primo pede disyllabam, qui peculiare genus sunt. Neque enim, ut in comicorum iambis, promiscue monosyllabam et disyllabam poni licet. Itaque semper etiam antistrophicus versus talem anacrusin habet. Soph. Oed. Col. 118. 150.

τίς ἄρ' ἦν; ποῦ ναίει;
ἀλαῶν ὀμμάτων.

§. 238.

Aliud genus est, quod in postremo pede disyllabam anacrusin habet, cui pariter eadem forma in antistrophico respondere debet. Aeschylus Suppl. 354. 366.

ἴδε με τὰν ἱκέτιν φυγάδα περίδρομον.
σὺ δὲ παρ' ὀψιγόνου μάθε γεραιόφρων.

Idemque genus hypercatalectum exstat apud Eurip. Bacch. 1175. 1189.

Κιθαιρών. τί Κιθαιρών;
ἐπαινεῖς. τί δ' ἐπαινῶ;


Acatalectum ultima soluta exstat apud Soph. Oed. Col. 1454. 1469.

χρόνος, ἐπεὶ μὲν ἕτερα.
δέδια δ'. οὐ γὰρ ἅλιον.

Vide Elem. d. m. p. 284.

§. 239.

Atque etiam in vulgaribus dochmiacis non rarus est hypercatalectus:



Hic interdum strophae finiendae adhibetur, ut in Sept. ad Theb. 427.

ὀλομένων ἰδέσθαι.

Et ibidem v. 309.

Καδμογενῆ ῥύεσθε,

quae forma saepissime invenitur, non illa confundenda cum versu logaoedico, qui ex iisdem syllabis constat. Anacrusin postremi ordinis hoc metrum semper brevem habet.

§. 240.

Saepe bini huiusmodi versus uno versu coniunguntur. Aesch. Agam. 1112.

ἄφερτον φίλοισιν, δυςίατον· ἀλκά.

Invenitur etiam adiuncto dochmiaco acatalecto, ut v. 1145.

ἰὼ ἰὼ ταλαίνας κακόποτμοι τύχαι.

Et inter medios dochmios ut in Eumen. 170.

§. 241.

Similis huic versui alius est, una syllaba longior, pariter brevem servans postremi ordinis anacrusin:



Eurip. Troad. 559.

λόχου δ' ἐξέβαιν' Ἄρης,
κόρας ἔργα Παλλάδος·

σφαγαὶ δ' ἀμφιβώμιοι
Φρυγῶν, ἔν τε δεμνίοις
χαράτομος ἐρημία.

§. 242.

Eadem anacruseos ratio est in versu, qui etiam hunc una syllaba excedit:

⏓ –́ | –́ | ⏑–́⏑–⏓
⏑⏑ | |

Aesch. Pers. 576.

βοᾶτιν τάλαιναν αὐδάν.

Quem praecedit dochmiacus acatalectus in Agam. 412.

κλόνους λογχίμους τε καὶ ναυβάτας ὁπλισμούς.

§. 243.

Hunc quoque una syllaba superat alius versus, eadem lege secundae anacruseos:

⏓ –́ | –́ | ⏑–́⏑–⏑–
⏑⏑ | |

Aesch. S. ad Th. 743.

μελαμπαγὲς αἷμα φοίνιον.

Hunc praecedit antispastus in Choeph. 24.

δι' αἰῶνος δ' ἰυγμοῖσι βόσκεται κέαρ.

§. 244.

Longiores iambici ordines si sequuntur dochmium, a dochmio separandi videntur, ut:

⏓ –́ | –́ | ⏑ –́ | ⏑–́⏑–⏑–
⏑⏑ | | |

Aesch. Eum. 391.

δερχομένοισι καὶ δυςομμάτοις ὁμῶς.

§. 245.

Aliud genus, quod his simile est, venustius videtur ex dochmiaco hypercatalecto et trochaeis componi:

⏒ –́ | –́ | ⏑ –́ ⏒ | –́ ⏑ – ⏑ – ⏑
   ⏑⏑ | | |

Aeschylus Choeph. 42.

ἰὼ γαῖα, γαῖα, μωμένα μ' ἰάλλει.

§. 246.

Iambicum ischiorrhogicum dochmio subiectum habent quum alii, tum Pindarus Pyth. VI. in fine stropharum:

Ἀπολλωνίᾳ τετείχισται νάπᾳ.

§. 247.

Augentur dochmiaci etiam ab initio, et primo quidem iambis. Atque unus iambus ubi praecedit dochmium, cavendum ne hoc metrum confundatur cum Creticis anacrusin habentibus, de quibus dictum §. 205. Eiusmodi Cretici sunt in Eurip. Suppl. 829.

κάτα με πέδον γᾶς ἕλοι,
διὰ δὲ θύελλα σπάσαι.

Dochmiaci vero praegresso iambo illi habendi sunt, qui mediis dochmiis ita inseruntur, ut dubitari de numero nequeat: quod maxime fit secunda arsi solvenda, quae usitatissima in dochmiis solutio est: ut in Aesch. S. ad Th. 488. 528.

ἰὼ πρόμαχ' ἐμῶν δόμων, τοῖσι δὲ δυςτυχεῖν
ἔχοντ' ἄφιλον ἐν σάκει τοῦ χθονίου δέμας.

Qui versus ex iambo et duobus dochmiis constant. Dochmius, qui succedit iambo, anacrusin solet brevem habere, ut numerus talis esse videatur:

⏒ –́ ⏑ – | –́ | ⏑ –́

§. 248.

Saepe dochmium duo antecedunt iambi, qui numero disiuncti sunt a dochmio, ut ex ancipiti anacrusi dochmiorum intelligitur:

⏒–́⏑– | ⏒–́ | –́ | ⏑–́

Aesch. Agam. 1166.

ἰὼ Σκαμάνδρου πάτριον ποτόν.

§. 249.

Saepe etiam dimeter et trimeter iambicus cum dochmiis copulatur, nunc ut cohaereat cum iis uno numero, nunc ut non cohaereat. Exempla dedit Seidlerus p. 119. seqq., e quibus tamen eximendum videtur, quod attulit ex Eurip. Or. 182. 205.

§. 250.

Qui in Eurip. Or. 140. 153. insoliti legebantur numeri:

σῖγα, σῖγα λεπτὸν ἴχνος ἀρβύλης.
πῶς ἔχει; λόγον μετάδος, ὦ φίλα,

correctos dedi *σίγα· σῖγα* et *λόγον πῶς ἔχει* scribendo.

§. 251.

Ac videtur etiam una arsis nuda dochmio praemitti:

–́	⏒ –́	–́	⏒–́
	⏑⏑		

Eurip. Phoen. 330. sq. ed. Pors., si sana est haec scriptura:

ἦ ποθεινὸς φίλοις,
ἦ ποθεινὸς Θήβαις.

Vide supra §. 218. et infra §§. 261. 269.

§. 252.

Mira compositio est trochaei unius cum dochmio, quae etsi videri potest hunc numerum, qui a choriambo incipiat, praebere:

–́⏑⏑– | –́ | ⏑–́

tamen nimis ille repugnat analogiae, quam antispasticae compositiones commendant, quam ut non sic potius hoc genus describendum videatur:

–́ ⏑ | ⏑ –́ | –́ | ⏑ –
      | ⏑⏑ | |

Aeschylus Sept. ad Th. 241. 247.

τίς τάδε νέμεσις στυγεῖ;
τίμιον ἕδος ἱκόμαν.

§. 253.

Invenitur etiam amphibrachus media soluta dochmio praemissus:

⏑ –́ ⏑ | ⏒ –́ | –́ | ⏑ –́
 ⏑⏑ | ⏑⏑ | ⏑⏑ |

Aesch. Pers. 269. 275.

τὰ πολέα βέλεα παμμιγῆ.
ἁλίδονα σώματα πολυβαφῆ.

Vide de his versibus §. 271.

§. 254.

Frequens est ditrochaeus cum anacrusi praemissus dochmio:

⏒ –́ ⏑ – ⏒ | ⏒ –́ | –́ | ⏑ –́

quod genus Alcmanium vocat Plotius pag. 2643. Aesch. Prom. 582.

οἰστρηλάτῳ δὲ δείματι δειλαίαν.

Plerumque ditrochaeus iste, sive colon iambicum dicere mavis, longa syllaba finitur: ut in Agam. 246.

βίᾳ χαλινῶν τ' ἀναύδῳ μένει.

Caesura quam ea in syllaba fieri par est, haud raro negligitur: Aesch. Ag. 370.

θεοὺς βροτῶν ἀξιοῦσθαι μέλειν.

§. 255.

Sequi dochmium ditrochaeus videtur apud Aeschylum Agam. 1132.

ξυναντύτει βίου δύντος αὐγαῖς.

§. 256.

Multae praeterea aliae inveniuntur dochmiorum cum antispastis aliisque numeris consociationes, ut dochmio medio inter antispastum et diiambum, apud Aesch. Choeph. 24.

δι' αἰῶνος δ' ἰυγμοῖσι βόσκεται κέαρ.

§. 257.

Bacchiaci numeri, qui interdum consociati dochmiis reperiuntur, quum indolem plane aliam et non congruentem cum dochmiis habere videantur, dochmiacis hypercatalectis adnumerari praestat. Ac saepe duo huiusmodi dochmiaci in unum versum coniunguntur, qui mensura prorsus par est tetrametro Bacchiaco, sed numero diversissimus:

⏑⏒ | ⏒ | ⏑⏒– || ⏑⏒ | ⏒ | ⏑⏒–

Aesch. Eum. 791. 821.

στενάζω; τί ῥέξω; γένωμαι; δύςοιστα.

Sed saepe etiam solutiones habet: Eurip. Troad. 320. 336.

ἀναφλέγω πυρὸς φῶς ἐς αὐγάν, ἐς αἴγλαν.
μακαρίαις ἀοιδαῖς ἰαχχαῖς τε νύμφαν.

§. 258.

In fine autem aut his hypercatalectis, aut vulgaribus dochmiis unum adiici Bacchium nihil prohibet. Ita in Rheso v. 706. (nisi hi vere Bacchiaci sunt):

δοκεῖς γάρ; τί μὴν οὔ; θρασὺς γοῦν ἐς ἡμᾶς.
τίν' ἀλκήν; τίν' αἰνεῖς; 'Οδυσσῆ.

Nam is Bacchius non repugnat numero dochmiaco, quia catalexis dochmiaca est. Omnino enim dochmiacis ii fere

numeri consociantur, qui partes esse dochmiacae videntur: quod eodem modo fit in Glyconeis.

§. 259.

Hinc explicari potest Cretici ratio, qui saepe coniungitur versibus dochmiacis, nunc ut praecedat, nunc ut sequatur. Eurip. Herc. f. 894. Aesch. S. ad Th. 95.

δάϊον μέλος ἐπαυλεῖται.
πότερα δῆτ' ἐγὼ ποτιπέσω βρέτη δαιμόνων.

Et Creticus quidem numerus quoniam simillimus est fini versus dochmiaci, per se non repugnat numero dochmiaco. Vnde saepe, qui vere Creticus numerus est, dochmiacis consociatur, pariterque paeon primus, qui solutio est Cretici. Aesch. Suppl. 455.

μήτι τλῆς τὰν ἱκέτιν εἰςιδεῖν
ἀπὸ βρετέων βίᾳ δίκας ἀγομέναν.

Nam prior versus trimeter Creticus est. Aperte paeon primus praemissus est dochmio in S. ad Th. 161. 171.

ποῖ δ' ἔτι τέλος ἐπάγει θεός;
ἐπτάπυλον ἕδος ἐπιῤῥύου.

Creticus autem, in paeonem quartum solutus, in Eurip. Phoen. 154. ed. Pors.

ὃς ἐπ' ἐμὰν πόλιν ἔβα πέρσων.

Idem subiectus dochmio in Aesch. Prom. 117.

ἵκετο τερμόνιον ἐπὶ πάγον.

Creticus in quinque breves solutus inter medios dochmios exstat in Soph. Oed. R 661. (v. §. 629.)

θεὸν πρόμον Ἅλιον· ἐπεὶ ἄθεος, ἄφιλος,
ὅ τι πύματον
ὀλοίμαν, φρόνησιν εἰ τάνδ' ἔχω.

§. 260.

Saepe vero non potest dubitari, quin Creticus iste dochmiis iunctus non sit vere Creticus, i. e. ordo trochaicus

in secunda arsi finitus, sed pars numeri dochmiaci, ex arsi nuda et iambo constans. Quo fit, ut media syllaba anceps sit, et Molossum pro Cretico poni liceat. Atque etsi plerumque in antistrophicis utrobique vel Cretici vel Molossi servantur, ut in Oreste 144. 157.

ἆ ἆ, σύριγγος ὅ-πως πνοιά.
ὀλεῖς, εἰ βλέφαρα-κινήσεις·

sic enim potius, quam ex Bacchio et dochmio compositi sunt hi versus: tamen est etiam ubi Creticus et Molossus sibi respondeant. Eurip. Ion. 677. (v. Elem. d. m. p. 272. seq.)

ὁρῶ δάκρυα καὶ-πενθίμους.
φίλαι, πότερ᾽ ἐμᾷ-δεσποίνᾳ.

Nisi *πενθήρεις* scripsit.

§. 261.

Duo huiusmodi Cretici ubi coniunguntur, dubium videri potest utrum sic metiendi sint,

–́ | ⏒–́ || –́ | ⏒–́

an ex arsi et dochmio constent, de quo genere dictum §. 251. hoc modo

–́ || ⏒–́ | –́ | ⏒–́.

Diiudicandum hoc videtur ex eo, quod quoque loco aptius est. Ita prior ratio adhibenda in his Prometh. 590.

κλύεις φθέγμα τᾶς-βούκερω-παρθένου.

Posterior in versibus §. 251. allatis.

§. 262.

De paeone quarto, quem tragici saepius iungunt dochmiis, dubium videri potest, utrum is sit solutio Cretici, ut aperte in Herc. fur., ubi sibi respondent v. 742. 757.

χαρμοναὶ-δακρύων-ἔδοσαν ἐκβολάς.
τίς ὁ θεοὺς-ἀνομίᾳ-χραίνων, θνητὸς ὤν·

an aliquando vere sit paeon: quo facto Creticum excludi necesse est. Ac negari non potest, inveniri locos, in quibus paeones multo aptiores videantur: ut in Electra Sophoclis 1384.

ἴδεθ' ὅπη-προνέμεται
τὸ δυςέριστον αἷμα φυσῶν Ἄρης.

Et in Aesch. Prom. 579.

τί ποτέ μ', ὦ-Κρόνιε παῖ, -τί ποτε ταῖςδ'.

§. 263.

Saepe e dactylico numero transitur in dochmiacum, et quidem ita fere, ut etiam dochmius a dactylo incipiat. Aesch. S. ad Th. 227. 234.

ἁπτόμε-νον πυρὶ δαΐῳ.
κρημναμε-νᾶν νεφελᾶν ὀρθοῖ.

Rarissime, ut a tribracho: Eurip. Ion. 1448.

συνέκυρσ' ἀδόκητος ἡδο-
νά; πόθεν-ἐλάβομεν χαράν.

Vel ut ab iambo, aut spondeo: idem in Phoen. 138.

οὗτος ὁ τᾶς Πολυνείκεος, ὦ γέρον,
αὐτοκα-σιγνήτας νύμφας ὁμόγαμος κυρεῖ;

§. 264.

Quemadmodum in hoc, quod modo allatum est, exemplo, cuius multa similia inveniuntur, longior series dactylorum in dochmiacos abit, ita saepe etiam ante eum dactylum, quem excipit dochmius, trochaeus est et hoc cum dactylo et cum dactylis praecedentibus uno numeri tenore cohaerens. Eurip. Troad. 256.

ῥῖπτε, τέκνον, ζαθέους κλῇδας καὶ ἀπὸ χροὸς ἐνδυ-
τῶν στεφέ-ων ἱεροὺς στολμούς.

§. 265.

Rarius duo trochaei sic inter dactylos medii sunt: ut in Orest. 180.

διοιχόμεθ', οἰχόμεθα. κτύπον ἠγάγετ'. οὐχὶ σῖγα,
σῖγα φυ-λασσομένα στόματος.

Et alibi.

§. 266.

Saepe etiam dactyli in arsin terminati praecedunt dochmiacos. Eurip. Hec. 1102.

ἢ Σείριος ἔνθα πυρὸς φλογέας ἀφίη-
σιν ὄσσων αὐγάς.

§. 267.

Denique interdum etiam spondeus nunc praecedit dochmium, nunc mediis dochmiis inseritur. Aesch. S. ad Th. 78. Eurip. Troad. 263.

θρεῦμαι-φοβερὰ μεγάλ' ἄχη.
ταύταν-τῷ πάλος ἔζευξεν;

Ion. 1499.

καταδεθεῖσα σὰν-ψυχὰν-ἀπέβαλον, τέκνον.

Qui spondeus videtur trochaeus semantus esse.

§. 268.

Praeterea etiam duae, tres, quattuor breves syllabae modo praecedunt dochmium, modo medios inter dochmios collocantur: quae quo numero sint, saepe ambiguum est. Videntur autem et hae syllabae, et, de qua modo dictum est, dactyli, tum etiam trochaei aliorumque quorumdam numerorum cum dochmiis consociatio, e paracataloge, quam musici vocant, explicanda esse. Hanc ex iis, quae Aristoteles Probl. IX. 6. Plutarchus de musica p. 1140. F. et 1141. A. et Hesychius in *καταλογῇ* dicunt, genus canendi illud fere fuisse

colligimus, quod hodie recitativum vocant: quod quoniam solutiorem habet compagem numerorum, aptissime modo per incertam illam brevium syllabarum titubationem, modo per lentam remissionem numeri dochmiaci in exitum spondiacum, modo etiam per instabilem dactyli trochaeive ante dochmios incessum exprimitur. Et dactylorum exemplum in primis accommodatum est ostendendae ex firmis certisque numeris transitionis in debiles illos et solutos numeros paracataloges: ut in Phoen. 165.

ἀνεμώκεος εἴθε δρόμον νεφέλας ποσὶν
ἐξανύ-σαιμι δι' αἰθέρος.

§. 269.

Et duae quidem syllabae breves quum praecedunt dochmium, videntur eae solutio esse nudae arseos, metrumque esse illud, de quo dictum §. 251. Euripid. Bacch. 1161.

καλὸς ἀγών, ἐν αἵ-
ματι στάζουσαν-χέρα-περιβαλεῖν τέκνον.

Vide Elem. d. m. p. 281. seq.

§. 270.

Tres breves syllabae ambiguum est, utrum iambi an trochaei solutio sint, quando uterque pes iungi dochmiis solet. Vt in Phoen. 1301. ed. Pors.

ἔλεος, - ἔλεος ἔμολε ματέρος δειλαίας.
δίδυμα-τέκεα, πότερος ἄρα πότερον αἱμάξει.

In Hecuba v. 1093. pro trochaeo videntur esse,

ἴτ', ἴτε, μόλετε, πρὸς θεῶν,

quum mox aperte trochaeus sit, v. 1097.

δεινά, δεινὰ πεπόνθαμεν.

Iambi loco positae sunt in Iphig. Aul. 1475. 1510.

ἄγετέ με τὰν Ἰλίου.
ἴδεσθε τὰν Ἰλίου.

Sed hi versus rectius segregantur a dochmiacis: vide §. 247.

§. 271.

Etiam quattuor breves syllabae ambiguum est utrum pro amphibracho, qui interdum dochmium praecedit, an pro dactylo ponantur. Amphibrachi eas locum tenere argueret Aeschylus in Persis 269. 275.

τὰ πολέα-βέλεα παμμιγῆ,
ἁλίδονα-σώματα πολυβαφῆ,

nisi ibi exquisita in cod. Paris. exstaret scriptura *ἀλιδνά*, congruens cum *πολλὰ*, quae librorum in strophico versu scriptura est. Plerisque in locis non videtur dubitari posse, quin elegantius pro dactyli solutione habeantur: ut in Agam. 1417. 1436.

χθονοτρεφὲς-ἐδανὸν ἢ ποτόν.
περίφρονα δ'-ἔλακες, ὥςπερ οὖν.

§. 272.

Quinque denique breves syllabas Cretici solutionem esse, iam supra observatum §. 259.

§. 273.

Ex Latinis poetis solus Plautus, sed is quoque raro, dochmiacis versibus usus videtur. Ita in Menaechmis V. 6, 9.

verbéra, cómpedés,
molaé, mágna lássitúdó, famés.

§. 274.

Sed apud hunc etiam Bacchiaci versus dimetri catalectici inveniuntur, qui quod mensura eadem qua dochmii sunt,

cavendum ne cum his confundantur. Non enim videntur dochmiaci esse. De his infra dicetur §. 282.

CAP. XXIII.

De versibus Bacchiacis.

§. 275.

Bacchiacum numerum veteres metrici ad genus paeonicum retulere, ut secundi quartive paeonis contractione natum. Nos eum propter iambicam anacrusin trochaicis numeris adiunximus, licet re vera spondiacus sit cum anacrusi iambica. Merito enim displicebat antiquis numerus amphibrachi, si iteraretur, propter nimiam debilitatem. Quare ut eum roborarent, trochaeum in spondeum mutarunt. Non multo melior est numerus palimbacchiacus, a quo pariter abstinuerunt, licet hunc ut virilem et gravem laudet Dionysius Hal. de comp. verb. p. 226. ed. Schaef. hoc exemplo usus:

σοί, Φοῖβε Μοῦσαί τε, συμβῶμεν.

Vide §. 195.

§. 276.

Graeci versibus Bacchiacis, Hephaestione teste, nec saepe usi sunt, neque ut diu hunc numerum continuarent. Affert is hoc exemplum:

ὁ ταῦρος δ' ἔοικεν κυρίξειν τίν' ἀρχάν·
φθάσαντος δ' ἐπ' ἔργοις προπηδήσεταί νιν.

Ac sane vere dicit Hephaestio. Omninoque, praesertim apud tragicos, valde dubium est, ne qui Bacchiaci dimetri vel

tetrametri reperiuntur, dochmiaci potius hypercatalecti sint. Aesch. Prom. 115.

τίς ἀχώ, τίς ὀδμὰ προςέπτα μ' ἀφεγγής.

§. 277.

Romanorum et tragici et comici multum usi sunt versibus Bacchiacis, et quidem plerumque ut multos continuos ponerent. Mensura Bacchii legitima in mediis versibus haec est:

⏑ ⏑́ –

  ⏖ ⏖

in fine versuum haec:

⏑ ⏑́ –

  ⏖⏑

Sed Latinorum liberior prosodia et longam anacrusin fert, et disyllabam. Ac disyllabam Plautus plerumque in primo tertioque pede tetrametrorum, i. e. in cuiusque membri, quod ex duobus pedibus componi solet, initio admisit; interdum etiam in secundo, quartoque pede. In Aulul. II. 1, 4. 5.

quamquam haúd falsa súm nos odiósas habéri.
nam múltum loquáces merito ómnes habémur.

Men. V. 6, 6.

merito hóc nobis fít, qui quidem húc venerímus.

Amph. II. 1, 15.

tun mé, verbero, aúdes herúm ludificári.

Poen. I. 2, 31.

sorór, cogitá-, amabo, itém nos perhibéri.

§. 278.

Vsitatissimum genus tetrametri sunt, qui in fine secundi pedis caesuram habent. Saepe tamen ea negligitur. Plautus,

qui valde delectatus est hoc metro, interdum mediis tetrametris dimetrum inseruit. Aliquando etiam per elisionem duos versus copulavit, ut in Amph. II. 2.

satín parva rés est volúptatum in víta atque
in aétate agúnda, práe quám quod moléstum est.

§. 279.

Videntur hi tetrametri interdum clausulas habere ex iambico dimetro catalectico, ut apud Terentium Andr. III. 2, 4.

quod iússi ei darí bibere et quántum imperávi,
date; móx ego huc revertor.

Vide Elem. d. m. p. 299. Nisi *ego* delendum.

§. 280.

Apud Plautum saepe in eadem scena nunc Bacchiaci versus, nunc Cretici inveniuntur: ut in Rud. I. 5. Vide Elem. d. m. p. 207. Cuiusmodi in locis cavendum, ne confundantur, quia unius syllabae accessio detractiove interdum facit, ut idem versus et Creticus et Bacchiacus videri possit. Ita exempli caussa dubitari potest de fine Pseudoli. V. §. seq.

§. 281.

Interdum Bacchiaci videntur systematis continuari, ut neque syllaba anceps in fine versuum locum habeat, et vocabula inter duos versus dividi possint. Varro περὶ ἐξαγωγῆς apud Nonium p. 336.

quemnám te esse dícam, ferá qui manú cor-
poris fervidós fontium óperis lacús san-
guinis, teque víta levás ferreo énse.

Ita comparatus videri potest finis Pseudoli: v. Elem. d. m. p. 303. seq. nisi eo in loco Cretici latent. V. §. 280.

§. 282.

Memorabiles sunt apud Plautum Bacchiaci catalectici, qui ultimum pedem iambum habent. Ac primo dimetri, qui quum mensura pares sint dochmiis, v. §. 274., tamen Bacchiaci potius videntur esse, tum quod consociati cum his inveniuntur, tum exemplo tetrametrorum. Sic in Persa V. 2, 28. 30.

perge, út coeperás.
hoc, léno, tibí.
delúde, ut lubét,
herús dum hinc abést.
vidésne, ut tuís
dictís pareó?

§. 283.

Tetrameter catalecticus in canticis apud Plautum iunctus invenitur acatalecto: ut in Menaechm. V. 6.

spectámen bonó servo id ést, qui rem herílem
procúrat, vidét, collocát, cogitát,
ut ábsente heró suo rem herí diligénter
tutétur, quam si ípse assit, aút rectiús.
tergúm, quam gulám; crura, quám ventrem, opórtet
potióra esse, quoí cor modéste sitúmst.

CAP. XXIII.

De numero dactylico.

§. 284.

Dactylicus numerus eodem modo, ut trochaicus, genera habet quinque. Ea haec sunt:

	| –́⏑⏑–⏑⏑	dactylicus.
⏑⏑	| –́⏑⏑–	anapaesticus.
	| –́⏑⏑–	choriambicus.
	| –́–́⏑⏑	Ionicus a maiore.
⏑⏑	| –́–	Ionicus a minore.

§. 285.

Rhythmici veteres numerum trochaicum διπλάσιον, dactylicum ἴσον vocant, quod in illo duplex tempus ad simplex, in hoc duplex ad duplex, i. e. par cum pari comparetur. Verum non omnes numeri dactylici hanc comparationem habent, sed in quibusdam, ut in heroico versu et anapaestis cycliis, longa syllaba, quae in arsi est, ἄλογος, i. e. irrationalis habetur, ut quae paullo brevior duplici tempore sit. Eamque ob caussam in his generibus arsis non solvitur in duas breves, quum contra in ceteris saepe solvatur.

CAP. XXIV.

De versibus dactylicis.

§. 286.

Dactylici versus ex ordinibus periodicis constant. Et alii quidem eorum per dipodiam incedunt, alii longioribus ordinibus variantur. Non autem dipodia in dactylicis versibus, sed unus quisque pes metrum vocatur, antiquissima appellatione servata. Vnde quot pedes, tot metra numerantur: ita ut tetrameter dactylicus mensura par sit dimetro anapaestico.

§. 287.

Mensura dactyli quum ex numeri legibus haec sit,

   –
´– ⏑⏑
⏑⏑

tamen in plerisque versibus dactylicis tantum dactylus et spondeus usurpantur: in perpaucis et raro proceleusmaticus vel anapaestus: qui pedes in his tantum dactylicis videntur admitti posse, quorum arsis non habet mensuram irrationalem: v. §. 285. Quare ab heroico versu et pentametro elegiaco, aliisque generibus, logaoedicis maxime, exclusa est solutio arseos. Omninoque haec solutio, sicubi invenitur, dubia fere est, nisi in nomine proprio, ut apud Pindarum Isthm. IV. 75 (III. 63.).

ἔρνεϊ Τελεσιάδα.

§. 288.

Catalexis dactylicorum duplex est, in monosyllabum, et in disyllabum: ut,

´–⏑⏑–⏑⏑–   ´–⏑⏑–⏑⏑–⏑

Acatalecti, nisi in systematis, ubi continuatur numerus, dactylo, non spondeo finiuntur, ne catalectici in disyllabum videri possint.

§. 289.

De ingenti multitudine versuum dactylicorum usitatissimi hi sunt. Dimeter catalecticus in disyllabum, qui Adonius vocatur. Aesch. Ag. 166.

τοῖςδ' ὁμόφωνον.

Quo in versu non solet dactylus in spondeum mutari. Integra hoc metro carmina Sappho scripsisse dicitur, ut refert Terentianus Maurus p. 2431.

§. 290.

Dimeter acatalectus fere in systematis coniunctus cum tetrametris invenitur.

§. 291.

Trimetro catalectico in syllabam saepe usi poetae. Archilochus:

ἐν δὲ Βατουσιάδης.

Aesch. Suppl. 851.

ἁλμιόεντα πόρον
δεσποσίῳ ξὺν ὕβρει.

§. 292.

Trimetri catalectici in disyllabum exempla exstant apud Soph. Trach. 112.

πολλὰ γὰρ ὥςτ' ἀκάμαντος
ἢ Νότου ἢ Βορέα τις
εὐρέ' κύματα πόντῳ.

Qui versus ubi in primo pede spondeum habet, cavendum

ne confundatur cum versu Pherecrateo, ut in Aesch. Ag. 108.

ἀλκᾷ σύμφυτος αἰών.

In secundo pede vix invenietur spondeus.

§. 293.

Trimeter acatalectus sicubi in systematis invenitur, pravae potius versuum distributioni deberi videtur, ut in Phoen. 806. 807. 824. 825. ed. Pors., ubi bini huiusmodi versus in unum hexametrum coniungendi.

§. 294.

Tetrameter catalecticus in syllabam apud Alcmanem invenitur:

ταῦτα μὲν ὡς ἂν ὁ δῆμος ἅπας.

Et apud Aesch. Suppl. 552. 561.

πολλὰ βροτῶν διαμειβομένα.
Παμφύλων τε διορνυμένα.

Spondeo in hoc excusatio est ab nomine proprio.

§. 295.

Tetrameter catalecticus in disyllabum Archilocho usurpatus in epodis:

φαινόμενον κακὸν οἴκαδ' ἄγεσθαι.

Eo versu integra carmina condidit Anacreon:

ἁδυμελὲς χαρίεσσα χελιδοῖ.

§. 296.

Tetrametro acatalecto et seorsim usi sunt scenici poetae, ita ut propter ultimam ancipitem etiam Creticum in fine poni liceret, ut Soph. Phil. 826. nisi *ἄλγεος* scripsit:

ὕπν' ὀδύνας ἀδαής, ὕπνε δ' ἀλγέων,

et in systema collectis pluribus, numero perpetuato, ut ultimus pes non nisi aut dactylus aut spondeus esse posset. Sic iam lyrici, ut Alcman, qui totas strophas hoc metro composuit:

Μῶσ', ἄγε, Καλλιόπα, θύγατερ Διός,
ἄρχ' ἐρατῶν ἐπέων, ἔπι δ' ἵμερον
ὕμνῳ καὶ χαρίεντα τίθει χορόν.

Tragici comicique in antistrophicis diligenter exaequare singulos pedes solent, ut dactylo dactylus, spondeo spondeus respondeat. Catalexi systematum nunc dactylica in disyllabum utuntur, nunc alius generis versum continuant numero dactylico, nunc abrupto dactylico numero, sed ut ancipitem excludant, aliud metrum subiiciunt. Hoc fecit Aristophanes Nub. 288.

ἀλλ' ἀποσεισάμεναι νέφος ὄμβριον
ἀθανάτας ἰδέας, ἐπιδώμεθα
τηλεσκόπῳ ὄμματι γαῖαν.

Illud Sophocles Antig. 338.

ἄφθιτον, ἀκαμάταν ἀποτρύεται,
ἰλλομένων ἀρότρων ἔτος εἰς ἔτος,
ἱππείῳ γένει πολεύων.

Caesuram non habent hi tetrametri. Vsi iis etiam Latinorum et tragici, ut Attius ap. Non. in v. expergite:

heú vígiles, properáte, expérgite,
péctora tarda sopóre, exsúrgite,

et comici, ut Terentius Andr. IV. 1, 1. semel,

hóccine credíbile aút memorábile.

Apud Graecos tragicos systematis tetrametrorum etiam dimetri et hexametri acatalecti inseruntur. Vide §§. 293. et 300.

§. 297.

Pentametro catalectico in syllabam usus Sophocles in Aiace 224. 248.

τῶν μεγάλων Δαναῶν ὕπο κληζομέναν.
ἢ θοὸν εἰρεσίας ζυγὸν ἑζόμενον.

§. 298.

Pentameter catalecticus in disyllabum ab Hephaestione Simmiens vocatur, quod Simmias eo usus sit:

χαῖρε, ἄναξ, ἕταρε ζαθέας μάκαρ ἥβας.

Aeschylus in Ag. 123. 143. 167. in quarto pede spondeum habet:

αἴλινον αἴλινον εἰπέ, τὸ δ' εὖ νικάτω.

§. 299.

Hexametri catalectici in disyllabum duo genera sunt. Alter heroicus est, de quo cap. seq. dicetur. Altero tragici usi sunt, qui eo differt ab heroico, quod per dipodias incedens arsibus non *ἀλόγοις*, sed plenis, caesuram non habet eam, quae in heroico usitata est, aut si habet, habet casu. Eurip. Suppl. 271.

βᾶθι, τάλαιν', ἱερῶν δαπέδων ἀπὸ Περσεφονείας,
βᾶθι, καὶ ἀντίασον γονάτων, ἔπι χεῖρα βαλοῦσα,
τέκνων τεθνεώτων κομίσαι δέμας, ὦ μελέα 'γώ,
οὓς ὑπὸ τείχεσι Καδμείοισιν ἀπώλεσα κούρους.

§. 300.

Hexametro acatalecto tragici in systematis tetrametrorum, interdum etiam seorsim usi sunt. Soph. El. 134. 150.

ἀλλ', ὦ παντοίας φιλότητος ἀμειβόμεναι χάριν.
ἰὼ παντλάμων Νιόβα, σὲ δ' ἔγωγε νέμω θεόν.

Vide Eurip. Suppl. 277. 278.

§. 301.

Vehementer delectati sunt numero dactylico lyrici mediae aetatis, Alcman, Stesichorus, Ibycus, ita ut non modo breviorum formarum permultas, sed etiam longiores, quam quae ceteris in usu fuerunt, frequentaverint. Atque heptameter catalecticus in syllabam, quem hexametrum hypercatalectum et Alcmanium vocat Servius p. 1821., invenitur in Stesichori fragm. ap. Athen. XI. p. 499. B.

πῖεν ἐπισχόμενος, τό ῥά οἱ παρέθηκε Φόλος κεράσας.

§. 302.

Heptameter catalecticus in disyllabum, quem Stesichorium Servius vocat, saepius in fragmentis illorum lyricorum deprehenditur, ut Stesichori ap. Strab. III. p. 148. B. (221.)

Ταρτησσοῦ ποταμοῦ παρὰ πῆγας ἀπείρονας ἀργυρο-
ρίζους.

Vide Alcman. fr. 37. 40. 78. Hic heptameter sive in syllabam sive in disyllabum catalecticus ex uno tantum ordine videtur constare, et proinde etiam carere caesura. Nam ex pluribus ordinibus duorum triumve pedum si componas, semper ineptum numerum praebebit. Subiicitur autem, ut videtur, quum aliis dactylicis, tum iis, qui per dipodias incedunt. Exemplo sit Ibyci fragmentum ap. Athen. XIII. p. 564. F. quod ita scribendum:

Εὐρύαλε, γλαυκέων Χαρίτων θάλος,
- - - - - - - - - - -
καλλικόμων μελέδημα, σὲ μὲν Κύπρις
ἅ τ' ἀγανοβλέφαρος Πειθὼ ῥοδέοισιν ἐν ἄνθεσι θρέψαν.

Vide §. 305.

§. 303.

Addit his Servius octametrum catalecticum in syllabam, quem vocat heptametrum hypercatalectum

Ibycium, e septem dactylis et syllaba, huiuscemodi exemplum ponens:

versiculos tibi dactylicos cecini, puer optime,
quos facias.

§. 304.

Marius Victorinus etiam octametrum catalecticum in disyllabum usurpatum scribit p. 2519. Quem videndum ne commenti sint metrici coniunctis in unum tetrametris acatalecto et catalectico in disyllabum, quos alternantes posuisse quidam videntur, ut Alcman in eo carmine, unde sunt fragm. 23. et 25.

§. 305.

Quin omnino quaeri potest, an lyrici isti etiam maiorem multitudinem pedum uno numero versuve comprehenderint. Sic in fragmento Ibyci apud Athenaeum XIII. p. 601. B. quas duas strophas repperit Th. Bergkius in Poetis lyricis Graecis p. 654. post tria membra ex duobus dactylis, trochaeo et syllaba constantia duodecim dactyli uno numero cohaerentes sequuntur:

ἦρι μὲν αἵ τε Κυδώνιαι
μαλίδες ἀρδόμεναι ῥοᾶν
ἐκ ποταμῶν, ἵνα παρθένων
κῆπος ἀκήρατος, αἵ τ' οἰνανθίδες
αὐξόμεναι σκιεροῖσιν ὑπ' ἕρνεσιν
οἰναρέοις θαλέθουσιν, ἐμοὶ δ' ἔρος
οὐδεμίαν κατάκοιτος ὥ-
ραν, ἅθ' ὑπὸ στεροπᾶς φλέγων
Θρηΐκιος βορέας, ἀΐσ-
σων παρὰ Κύπριδος ἀζαλέαις μανί-
αισιν ἐρεμνὸς ἀθαμβέσιν ἄρδισι
παιδόθεν ἔφλασεν ἁμετέρας φρένας.

Apud Athenaeum legitur ἀθάμβησε κραταιῶς vel ἀθάμβησεν κραταιὸς παιδόθεν φυλάσσαυ et φυλάξου. Bergkius

scripsit *ἀθαμβέσι καρτερῶς παιδόθεν ἔφλασεν.* At *καρτερῶς* vel per metrum ferri non potest. Posui ego *ἄρδισι*, non quod id certum putarem, sed ut metro tamen et sententiae conveniens.

CAP. XXV.

De versu heroico.

§. 306.

Hexameter heroicus, quod omnium metrorum et antiquissimum et celebratissimum est, eo differt ab illo hexametro catalectico in disyllabum, de quo §. 299. dictum, quod non per dipodias incedit, sed ut plurimum in duo similia quidem, sed inaequalia, omnino autem in varia membra dispescitur. Ea membrorum varietas facit, ut hic versus, quod etiam in trimetro iambico observatum est, non modo sine iniucunditate in infinitum repeti possit, sed etiam, mensurae quoque accedente multiplici variatione, diversissimis rebus apte exprimendis idoneus sit.

§. 307.

Caesurae a metricis quattuor commemorantur, *πενθημιμερής*, *κατὰ τρίτον τροχαῖον*, *ἑφθημιμερής*, *τετραποδία βουκολική*:

–́⏑⏑–⏑⏑– | ⏑⏑–́⏑⏑–⏑⏑–⏑

–́⏑⏑–⏑⏑–⏑ | ⏑–́⏑⏑–⏑⏑–⏑

–́⏑⏑–⏑⏑–⏑⏑– | ⏑⏑–́⏑⏑–⏑

–́⏑⏑–⏑⏑–⏑⏑–⏑⏑ | –́⏑⏑–⏑

Sed de his ita statuendnm, usitatissimas maximeque commodas esse primas duas, quae πενθημιμερὴς et κατὰ τρίτον τροχαῖον vocantur; rariorem esse tertiam, ἑφθημιμερῆ, quae vehementior est; bucolicam denique a Graecis bucolicis fere semper usurpatam, sed ita, ut simul una de duabus prioribus adhiberetur; saepe autem etiam a ceteris poetis, ubi apta videretur, admissam. Omninoque virtutem longioris carminis in varietate caesurarnm apte temperata cerni, saepeque plures nno in versu fieri. Quarum eae, quae in arsi finnt, magis masculae sunt: easque in universum, nisi ubi molle argumentum obstaret, in poesi Graeca usque ad Nonnum praelatas videmus: Nonno, et qui deinceps secuti sunt poetae, molliores istae, quae in trochaeo fiunt, ultima dactyli syllaba sequenti membro relicta, magis placuere, coniunctae cum frequenti usu dactylorum, unde magna nascitur nnmeri volubilitas. Dictum ea de re in diss. de aetate Orphei Argonauticornm. Deinceps alii accuratius severissimas Nonni eiusque sectatorum leges metricas aperuerunt: Wernickius in adnotationibus ad Tryphiodorum, C. Lehrs in Quaestionibus epicis, qui etiam de Oppianornm carminibus disputavit, Struvius in dissertatione de exitu versunm in Nonni carminibus edita Regimonti a. 1834. Ac Nonni quidem illa quum in aliis rebns severitas, tum in eo, quod non dnos continuos spondeos posuit, numeros effecit maxima volubilitate et celeritate fluentes, eo ipso autem tam inter se similes, ut recitantem non consistere sinant, sed rapiant secum atque auferant, pereatque illa praeclara numerorum varietas, quam in Homericis carminibus admiramur.

Etiam Alexandrini poetae singulari quadam diligentia numeros heroici versus elaborarunt: quorum de Apollonio Rhodio disseruit R. Merkel, cuius dissertatio hoc ipso anno Magdeburgi edita inscripta est *zu Apollonius Rhodius*. Sunt tamen in hoc genere nonnnlla, qnae non tam secundum certa praecepta, quam sensu quodam admoniti fecisse poetae videantur. Quare modo admiserunt aliquid, modo repudiarunt, prouti aptum aut non aptum videretur. Quod cur ita

visum sit, propria cuiusque loci ratione consideranda apparebit.

De Quinto Smyrnaeo dicet in Posthomericorum editione Arm. Koechly.

§. 308.

Quoniam in singulis pedibus, si dactyli sunt, ter incidi potest, numerus caesurarum omnium est sedecim. Ex his hae maxime memorabiles sunt. **Prima**, in prima arsi: Hom. Iliad. α. 51. Od. μ. 439.

αὐτὰρ ἔπειτ' αὐτοῖσι βέλος ἐχεπευκὲς ἐφιεὶς
βάλλ' · -αἰεὶ δὲ πυραὶ νεκύων καίοντο θαμειαί.
ἐελδομένῳ δέ μοι ἦλθεν
ὄψ' · -ἦμος δ' ἐπὶ δόρπον ἀνὴρ ἀγορῆθεν ἀνέστη.

§. 309.

Tertia, in fine primi pedis: Iliad. ω. 500. Virg. Georg. IV. 195.

τὸν σὺ πρώην κτεῖνας ἀμυνόμενον περὶ πάτρης
Ἕκτορα· -τοῦ νῦν εἵνεχ' ἱκάνω νῆας Ἀχαιῶν.

Vt cymbae instabiles fluctu iactante saburram
tollunt: -his sese per inania nubila librant.

§. 310.

Quarta in secunda arsi: Theocr. XXV. 260. Virg. Georg. II. 296.

τῷ μὲν ὑπὲκ χειρῶν ἔφυγεν τανύφλοιος ἐρινεὸς
καμπτόμενος, -τηλοῦ δὲ μιῇ πήδησεν ὑφ' ὁρμῇ.

Tam fortes late ramos et brachia tendens
huc illuc, -media ipsa ingentem sustinet umbram.

§. 311.

Sexta in fine secundae theseos, rara illa. Virgilius, curiosissimus in hoc genere, Georg. III. 99.

ut quondam in stipulis magnus sine viribus ignis
incassum furit: -ergo animos aevumque notabis.

§. 312.

Septima, in tertia arsi quae πενθημιμερὴς dicitur, usitatissima omninm. Haec gravis est et elegantissime versum dividit:

fortunam Priami-cantabo et nobile bellum.

§. 313.

Octava, in media tertia thesi, quae dicitur κατὰ τρίτον τροχαῖον.

Orphei Calliopea-Lino formosus Apollo.

Haec quia lenis est, frequentissima est in molli argnmento, nt in Moschi epitaphio Bionis. Eadem volubilitatem auget. Hom. Od. λ. 598.

αὖτις· ἔπειτα πέδονδε κυλίνδετο λᾶας ἀναιδής.

§. 314.

Nona, in fine tertii pedis, perrara, quoniam in duas aequales partes versum dividit, admissa a Virgilio Georg. I. 358.

montibus audiri fragor: -aut resonantia longe.

§. 315.

Decima, in quarta arsi, quae ἑφθημιμερὴς vocatur. Idem Georg. I. 201.

non aliter, quam qui adverso - vix flumine lembum
remigiis subigit.

§. 316.

Vndecima, in media thesi quarta, quae κατὰ τέταρτον τροχαῖον a grammaticis vocatur, rarissima est apud bonos

poetas, quia mirum quantum numeros debilitat. Iliad. ι. 394. ψ. 760.

Πηλεὺς θήν μοι ἔπειτα γυναῖκα-γαμέσσεται αὐτός.
ἄγχι μάλ᾽, ὡς ὅτε τίς τε γυναικὸς ἐϋζώνοιο.

Tolerabilior fit, si certe simul in vicinis arsibus voces finiuntur, ut Iliad. ζ. 2.

πολλὰ δ᾽ ἄρ᾽ ἔνθα καὶ ἔνθ᾽-ἴθυσε μάχη-πεδίοιο.

Latini negligentiores hac in re fuerunt, Ovidius maxime et Calpurnius. Plura vide de hac caesura in diss. de aetate Orph. Arg.

§. 317.

Duodecima, in fine quarti dactyli, nobilis et gravis caesura, non modo bucolicis Graecis, a quibus nomen habet, sed saepe epicis quoque magna cum vi usurpata est. Hom. Iliad. δ. 424.

πόντῳ μὲν τὰ πρῶτα κορύσσεται·-αὐτὰρ ἔπειτα
χέρσῳ ῥηγνύμενον μεγάλα βρέμει,-ἀμφὶ δέ τ᾽ ἄκρας.

Saepe ea apud epicos fit quarto pede spondeo, ita ut veterrimi eo loco etiam trochaeum aliquando admiserint. Iliad. λ. 36. Enn. Ann. I.

τῇ δ᾽ ἔπι μὲν Γοργὼ βλοσυρῶπις ἐστεφάνωτο.
omnis cura viris, uter esset endoperator.

Vide supra §§. 71. 83. Multo rarius Graeci quam Latini poetae posuerunt vocabulum trium longarum syllabarum quod quartum pedem terminaret, ut Iliad. α. 11. β. 522. λ. 82. 823. μ. 316. ν. 245. Odyss. μ. 267. φ. 15.

§. 318.

Tertia decima, in quinta arsi, rara. Ea usus Ennius:

nam me visus homo pulcer per amoena salicta
et ripas raptare, locosque novos:-ita sola
post illa, germana soror, errare videbar,
tardaque vestigare et quaerere te,-neque posse
corde capessere: semita nulla pedem stabilibat.

§. 319.

Quinta decima, in fine quinti pedis, improbata grammaticis Graecis: v. Schol. Harl. ad Hom. Od. β. 77. Bentleius ad Lucan. I. 231. observavit Latinos, ubi hac caesura utantur, fere in ultimo pede duas voces monosyllabas ponere: ut Virg. Ecl. VII. 35.

nunc te marmoreum pro tempore fecimus: - at tu

Sic Propertius in C. Lachmanni ed. I. 9, 15. 12, 9. II. 1, 25. III. 20, 1. 19. 24, 15. 28, 47. IV. 1, 31. 3, 15. 18, 33. 23, 13. Caussa haec est, quod sic ultimus pes, duplici arsi constans, longius producitur, eoque nimiam membrorum inaequalitatem quodammodo compensat. Quod addit Bentleius, disyllabam vocem in ultimo pede sic poni, si aut ipsa repetita sit, aut sensus saltem, qui sit in ea, argutum, non verum est. Virg. Aen. X. 195.

ingentem remis Centaurum promovet: - ille

Apud Propertium sic II. 1, 53. III. 13, 23. V. 1, 9. 4, 59. 6, 13.

§. 320.

Sexta decima, in sexta arsi, fit voce monosyllaba versum finiente, quae non est enclitica. Quae incisio facit, ut ultimus pes mutato numero ex duabus arsibus constet. Graviter Od. ϑ. 69. Dionys. Perieg. 759. Virg. Aen. I. 105. Georg. I. 247.

γαῖαν ὁμοῦ καὶ πόντον· ὀρώρει δ' οὐρανόθεν-νύξ.
ἐσχατιάς· πέρι δέ σφι δυςήνεμος ἐκτέταται-χθών.

dát latus, insequitur cumuló praeruptus aquae-
móns.
íllic, ut perhibent, aut íntempesta silet-nóx.

Et in re pusilla Virg. Georg. I. 181.

túm variae illudunt pestes: saepe éxiguus-mús.

Horatius:

párturiunt montes, nascétur ridiculus-mús.

§. 321.

Inelegans est versus, qui quocumque modo partes habet nimis aequales. Vt hi Ennii:

Poéni pervortentes-ómnia circumcursant,
dísperge hostes, -dístrahe, diduc, -dívide, differ.

Lucret. II. 77.

aúgescunt aliae gentes, aliaé minuuntur.

Aut qualem in hanc rem proposuit I. H. Vossius ad Virg. Georg. II. 519.

sole cadente iuvencus aratra reliquit in arvo.

§. 322.

Latinos observatum est non amare versum vocabulo finire, quod mensura Ionicum a minore refert. Eius rei caussa non in tali vocabulo sita est, sed in praecedente, quia, quum Latina lingua non habeat voces oxytonas, iniucundum est vocem iambicam, spondiacam, anapaesticam eo in loco ultima acuta audiri, ubi iam remissior esse, non intensior fieri numerus debet. Vt in versu Lucretii modo allato. Quare curari solet, ut aut Graeca sint ultima vocabula, aut longior sit vox penultima, quae quod duplicem ictum habet, eum, qui est in extrema syllaba, habet debiliorem:

Amphion Dircaeus in Áctaeo-Aracyntho
lámentis gemituque et fémineo-ululatu.
ámbrosiae succos et odóriferam panaceam.

Eadem caussa, quod numeri vim in extremo versu minui convenit, minus elegantes sunt longiores eo in loco voces, ut apud Lucret. III. 71.

conduplicant avidi, caedem caedi accumulantes.

§. 323.

De mensura disputatum in diss. de aetate Orph. Arg. et a Spitznero in libro de Graecorum versu heroico. Grammatici abnormes versus commemorant ἀκεφάλους, λαγαρούς, μειούρους, δολιχοούρους sive μακροσκελεῖς, προκεφάλους, προκοιλίους. Vide Athenaeum XIV. p. 620. C. et Scholiastas Hephaestionis. Nihil haec nisi commenta sunt, prosodiae ignoratione excogitata.

§. 324.

Eodem referendus, qui anapaestus vel proceleusmaticus pro spondeo vel dactylo videri potest, contractione in spondeum vel dactylum mutandus:

Βορέης καὶ Ζέφυρος, τώ τε Θρῄκηθεν ἄητον.
νέα μέν μοι κατέαξε Ποσειδάων ἐνοσίχθων.
πλέονές κεν μνηστῆρες ἐν ὑμετέροισι δόμοισιν.
ἐκ δὲ στέατος ἔνεικε μέγαν τροχὸν ἔνδον ἐόντος.

Iliad. ι, 5. ψ. 195. Od. ι. 283. σ. 246. φ. 178. 183. Ennius tamen et proceleusmaticum et anapaestum in primo pede admisit in his versibus p. 135. 159. ed. Hessel.

capitibus nutantis pinus rectosque cupressos.
melanurum, turdum, merulamque, umbramque marinam.

§. 325.

Trochaeum pro spondeo Homerus indulsit sibi paucis quibusdam in locis, et quidem in primo quartoque pede. Od. κ. 493. μ. 267. hymn. Apoll. 373.

μάντιος ἀλαοῦ.
Πύθιον καλέουσιν ἐπώνυμον.

Iliad. β. 731. ο. 554.

τῶν αὖθ' ἡγείσθην Ἀσκληπιοῦ δύο παῖδε.
ἐντρέπεται φίλον ἦτορ, ἀνεψιοῦ κταμένοιο.

Etsi, quum fuerint, qui Ἀσκληπίου pronuntiarent, hoc quidem ab accentu veniam habere potuit. Vide Elem. d. m. p. 56. Alia, quae huc trahi possunt, v. supra §§. 71. 83. et 317.

§. 326.

Quintus pes ut plurimum dactylus est. Apud Latinos quidem si spondeus est, fieri hoc solet cum gravitate quadam. Virg. Ecl. IV. 49. Propert. II. 14, 49.

cara deum soboles, magnum Iovis incrementum.
sunt apud infernos tot millia formosarum.

Nullus Latinorum hoc exitu tantopere delectatus est, quam Catullus. Ac plerumque curant Latini, ut finis versus fiat voce quattuor syllabarum. Trisyllaba vox cur minus probetur, intelligi potest ex §. 322. Itaque minor elegantia in his est Catulli LXVI. 57. et Virgilii Aen. VII. 634.

ipsa suum Zephyritis eo famulum legarat.
aut levis ocreas lento ducunt argento,

quam in his eorumdem poetarum, Georg. III. 276. Aen. VIII. 679. Epithal. Pel. et Thet. 44. 96. 298.

saxa per et scopulos et depressas convallis.
cum populo, patribusque, penatibus, et magnis dis.
regia, fulgenti splendent auro atque argento.
egressus curvis e littoribus Piraei.
cum thiaso Satyrorum et Nysigenis Silenis.

§. 327.

Recentiores et Graecorum et Romanorum poetae caverunt, ne ex solis spondeis versum facerent. Vnde Albinus ap. Maximum Victorinum p. 1959. dicit,

vilem spondeo totum concludere versum.

Homerus tamen saepius tales habet:

Ἀτρείδης· τὼ δ' αὖτ' ἐκ δίφρου γουναζέσθην.

Vide Iliad. λ. 130. ψ. 221. Od. ο. 333. φ. 15. χ. 175. 192. Ion Chius in Brunck. Anal. T. I. p. 162. fr. II. 5. Ennius:

olli respondet rex Albai longai.

et saepius. Lucret. VI. 1133. Catull. CXVI. 3. Rari sunt etiam hi versus, qui paucos ab initio dactylos habent, et deinde in spondeos exeunt. Catull. LXVIII. 87. Virg. Georg. III. 276.

nam tum Helenae raptu primores Argivorum.
saxa per et scopulos et depressas convallis.

§. 328.

Quoniam in fine cuiusque versus pausa fit, praetulerunt poetae eas verborum formas, quae longa syllaba finirent versum, iis, quae brevi. Itaque et ν paragogicum addiderunt, et *εἶναι, αἰεί,* quam *ἔμμεν, αἰέν,* in fine versus ponere maluerunt. V. de emend. rat. Gr. gramm. p. 22. seq. et praefat. ad Orph. p. 9.

§. 329.

Graeci semper integra voce versum heroicum terminant. Vnde vetus poesis multa truncavit vocabula, ut *ἧλ, δῶ, κρῖ,* de quibus v. Strabonem VIII. p. 364 (560). Sed grammatici Iliad. θ. 206. ξ. 265. ω. 331. dederunt *εὐρύοπα Ζῆν',* quod pessime quidam scribunt ultima littera sequenti versui addita. Nam quum elisio neque apud Graecos, neque apud Lati-

nos caesuram impediat, apertum est, praecedenti vel versui vel membro attribuendam esse syllabam, quae eliditur. Fuisse, qui *Ζῆν* monosyllabum scriberent apud Homerum, colligas ex Eustathio p. 984. init. Iique recte. Alteros Virgilius, exquisitae doctrinae laudem affectans, secutus: Georg. I, 295.

aut dulcis musti Volcano decoquit humorem,
et foliis undam tepidi despumat aheni.

Vide II. 69. 344. III. 242. 449. et Macrob. V. 14.

§. 330.

In parum utilibus grammaticorum subtilitatibus numerandus versus, quem *κατ' ἐνόπλιον* vocant, qui ex duorum dactylorum et spondei iteratione constat, ut Iliad. α. 357.

ὣς φάτο δακρυχέων, τοῦ δ' ἔκλυε πότνια μήτηρ.

Metrum *κατ' ἐνόπλιον*, de quo v. Schol. Hephaest. p. 91 (178.). Eustath. p. 1899, 60. Schol. Aristoph. Nub. 951. et quae ibi adnotavi, quibus addendi Plato de rep. III. p. 400. B. et Scholiastes eius p. 155., de quo disputatum in Elem. d. m. p. 352. has videtur formas habuisse:

– ⏑́ ⏑ – ⏑ ⏑ – –
– –́ ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ –
– ⏑́ ⏑ – – ⏑ ⏑ ⏑ ⏑

§. 331.

Alium versum grammatici *λογοειδῆ* vel *πολιτικὸν* vocant, quod ad prosam orationem accedat: II. λ. 679.

ἵππους δὲ ξανθὰς ἑκατὸν καὶ πεντήκοντα.

Ac sane est quoddam genus versus heroici, in quo, nulla gravitatis ratione habita, hoc tantum curatur, ut ne prorsus rudes atque ineptos numeros habeat. Eo usi sunt, qui leviora argumenta et non multum supra prosam orationem elata aliquo tamen metro comprehendere volebant, ut Archestratus, cuius poema saepissime laudatum ab Athenaeo, et Horatius

in Epistolis, ac magis etiam in Sermonibus. Vide Morgensternii diss. de satirae atque epistolae Horatianae discrimine p. 28. seqq.

CAP. XXVI.

De hexametro *μειούρῳ*.

§. 332.

Versum *μείουρον* metrici vocant, cuius ultimus pes pyrrhichius vel iambus sit, qualem esse dicunt hunc Il. *μ*. 208.

Τρῶες δ' ἐῤῥίγησαν, ὅπως ἴδον αἰόλον ὄφιν.

At in hoc versu ὄπφιν pronuntiandum esse, iam veterum quidam monuerunt.

§. 333.

Sed vere a quibusdam facti sunt versus *μείουροι*. Terentianus Maurus p. 2425. v. 1931. de Livio Andronico in Inone:

Livius ille vetus Graio cognomine suae
inscrit Inoni versus, puto, tale docimen.
praemisso heroo subiungit namque μείουρον,
hymnum quando chorus festo canit ore Triviae:
et iam purpureo suras include cothurno,
balteus et revocet volucres in pectore sinus,
pressaque iam gravida crepitent tibi terga pharetra:
dirige odorisequos ad certa cubilia canes.

Non sunt isti versus Livii Andronici, sed videntur Laevii esse, pro quo Livium nominatum Terentianus invenerat. Vsurpavit hoc metrum Lucianus in Tragodopodagra v. 312. lepide imitatus incessum hominis repentino dolore ex podagra claudicantis:

– – – – –

–́⏑⏑–⏑⏑–́⏑⏑–́⏑⏑–́⏑⏑⏑–́

Exemplo sint hi versus:

οὔτε Διὸς βρονταῖς Σαλμωνέος ἤρισε βία,
οὐκ ἐρίσας ἐχάρη Φοίβῳ σάτυρος Μαρσύας.
ἤπιον, ὦ πάνδημε, φέροις ἄλγημα, Ποδάγρα,
κοῦφον, ἐλαφρόν, ἄδριμυ, βραχυβλαβές, εὐώδυνον.

Correxi ultimum versum, in quo *ἀνώδυνον* legebatur.

CAP. XXVIII.

De pentametro elegiaco.

§. 334.

Pentametrum elegiacum fuerunt qui compositum putarent ex duobus dactylis, spondeo, et duobus anapaestis. V. Quintilian. IX. 4, 98. Terentian. Maur. p. 2421. Schol. Hephaest. p. 94 (168). Caesura quae inviolabilis est in tertia arsi, dubitare non sinit, quin unice vera sit ea ratio, quae Hephaestioni probata fuit, duo *πενθημιμερῆ* dactylica in hoc versu coniuncta censenti. Sed non est hic versus asynartetus, ut placet Hephaestioni, si quidem sic ea appellatione utendum est, ut supra §. 42. iudicavimus. Nam tertia arsis in qua caesura est, neque hiatum admittit, nisi qui

nisi qui in dactylica poesi Graecorum non habetur pro hiatu, neque syllabam ancipitem, adeo ut perraro brevis syllaba caesurae atque arseos vi eo loco producatur. Vide diss. de aetate Orph. Argon. et Iacobsium in Actis Monacens. vol. I. Fasc. II. et III. et in praefat. ad Anthol. addendisque ad ad eam; ac Friedemannum in diss. de media syllaba pentametri Graecorum elegiaci.

§. 335.

Non nisi nominis proprii necessitas, et huius quoque compositi, excusare neglectionem caesurae potest. Vix aliud hodie exstat exemplum, quam Callimachi fr. 192.

ἱερὰ νῦν δὲ Διοςκουρίδεω γενεή.

Elisio neque apud Graecos neque apud Latinos obest caesurae. Meleager XII. 4.

τὸν τριπάνουργον Ἔρωτ' ἔπλασεν ἐν κραδίᾳ.

Catull. LXVIII. 82.

quam veniens una atque altera rursus hiems.

vide ibidem v. 90. et LXXV. 8. XC. 4.

§. 336.

Spondei in prima, non in secunda parte admittuntur, quia finem numeri commodius et facilius incedere, non augeri tanto pondere convenit.

§. 337.

Inelegans versus est singulos pedes singulis vocibus comprehensos habens. Theogn. 448. Catull. LXXVI. 8.

οὕτως, ὥςπερ νῦν, οὐδενὸς ἄξιος εἶ.

aut facere, haec a te dictaque factaque sunt.

§. 338.

Prima pars versus elegantior est dactylo spondeum, quam spondeo dactylum praecedente.

vix Priamus tanti totaque Troia fuit.
res est solliciti plena timoris amor.

§. 339.

Romani hoc in versu elegantia superarunt Graecos, maxime vocibus, in posteriore potissimum parte, apte dispositis, cuius rei haec caussa est, quod Latina lingua non habet vocabula ὀξύτονα. Omnium minime probatur versus trisyllabo vocabulo finitus: Catull. LXVIII. 98.

nec prope cognatos compositum cineres.

Melior, sed non optimus habetur, qui vocabulo quattuor vel quinque syllabarum terminatur. Ibidem v. 18. 66.

quae dulcem curis miscet amaritiem.
tale fuit nobis Manlius auxilium.

Sed si Graeca est ea vox, probatur, ut saepius apud Propertium. Optimus est versus bisyllabo vocabulo terminatus, pedum fine in medias voces incidente:

res est solliciti plena timoris amor.
ut reor a facie, Calliopea fuit.

Quare minus elegans hic est:

vix Priamus tanti totaque Troia fuit.

§. 340.

Vltimam syllabam, si natura brevis est, consonante terminari curant, quia sic facilius produci potest. Non est elegans vocali brevi terminata. Catull. LXVII. 2.

salve, teque bona Iuppiter auctet ope.

Vide v. 6. 10. LXVIII. 70. LXXX. 2. XCI. 1. Tibull. I. 3, 92. 5, 66. 8, 48. 9, 78. vel,

scitis et in quo me corruerit genere,

Catull. LXVIII. 52. Vide LXXXVIII. 8. CVI. 2. CX. 6. Tibull. I. 10, 14. Propert. I. 16, 30.

§. 341.

Solet hic versus hexametro heroico subiici: quod antiquissimum est stropharum genus. Nomen ei elegorum. Semel usurpatum est in tragoedia, apud Eurip. Androm v. 103. seqq.

§. 342.

Propter aequalitatem membrorum non est hic versus talis, qui solus saepius repeti possit. Neque hoc factum, nisi in Philippi Thessalonicensis epigr. 4. in Brunck. Anal. T. II. p. 212. s. Anth. Pal. XIII. 1. et in illo Virgilii lusu, *sic vos non vobis.*

CAP. XXVIII.

De versibus Aeolicis.

§. 343.

Versus Aeolicos metrici dicunt ex puris dactylis, praeter catalexin, componi, primum autem pedem habere quemcumque pedem disyllabum. Ex quo apparet, esse hos versus dactylicos cum basi. Scholiastes Hephaestionis p. 90 (177). etiam spondeos pro dactylis agnoscit. Videntur duo genera constituenda esse horum versuum, id, quo Dorica poesis usa est, quam sequuti sunt scenici poetae Atticorum, et illud, quod Aeolenses lyrici usurparunt. Dorica illa poesis a basi pyrrhichium excludit, solis iambo, trochaeo, spondeo locum concedens, post basin autem pro dactylis etiam spondeos recipiens. Aeolenses vero etiam pyrrhichium in basi posuerunt, ceteros pedes videntur puros dactylos servasse. V. Theo-

criti carmen XXIX. Iniuria hos poetas reprehendit Bentleius ad eprigramma metris Horatianis in Pasiphaen scriptum, deceptus a veteribus metricis.

§. 344.

Genera Aeolicorum versuum haec memorat Hephaestio: trimetrum, qui rectius dimeter vocabitur, catalecticum in disyllabum:

θυρωρῷ πόδες ἐπτορόγυιοι,
τὰ δὲ σάμβαλα πεντεβόεια·
πίσυγγοι δὲ δέκ' ἐξεπόνασαν.

§. 345.

Tetrametrum, rectius trimetrum, acatalectum. Sappho:

ἔρος δ' αὖτέ μ' ὁ λυσιμελὴς δονεῖ,
γλυκύπικρον ἀμάχανον ὄρπετον·
Ἀτθί, σοὶ δ' ἐμέθεν μὲν ἀπήχθετο
φροντίσδην, ἐπὶ δ' Ἀνδρομέδαν ποτῇ.

Alcaeus apud Schol. Platon. p. 51.

οἶνος, ὦ φίλε παῖ, καὶ ἀλάθεα.

§. 346.

Pentametrum, rectius tetrametrum, catalecticum in disyllabum:

τέῳ σ', ὦ φίλε γαμβρέ, καλῶς εἰκάσδω;
ὄρπακι βραδινῷ σε μάλιστ' εἰκάσδω.

§. 347.

Pentametrum, rectius tetrametrum, acatalectum. Sappho:

ἠράμαν μὲν ἐγὼ σέθεν, Ἀτθὶ, πάλαι πόκα.

Alcaeus ap. Aristoph. Vesp. 1232. Theocr. carm. XXIX.

§. 348.

Hexametrum, rectius pentametrum, catalecticum in disyllabum, quem metrici veteres *ἔπος Αἰολικὸν* vocant:

κέλομαί τινα τὸν χαρίεντα Μένωνα καλέσσαι,
εἰ χρὴ συμποσίας ἐπ' ὄνασιν ἐμοὶ γεγενῆσθαι.

§. 349.

Plures, et quosdam praelongos huius generis versus, sed admissis Dorico more etiam spondeis, posuit Aeschylus in Persis v. 866. seqq. de quibus v. Elem. d. m. p. 363. seqq.

CAP. XXIX.

De dactylicis logaoedicis.

§. 350.

Logaoedici versus dicti sunt, qui ob dactylici et trochaici numeri coniunctionem medii inter cantum et communem sermonem viderentur. In quo genere metri quoniam dactyli et trochaei uno ordine periodico continuantur, puros conservari dactylos consentaneum est.

§. 351.

Plerumque duobus trochaeis terminantur. Vt Alcaicus versus apud Hephaestionem,

καί τις ἐπ' ἐσχατιαῖσιν οἰκεῖς,

et Praxilleus,

ὦ διὰ τῶν θυρίδων καλὸν ἐμβλέποισα,
παρθένε τὰν κεφαλάν, τὰ δ' ἔνερθε νύμφα.

§. 352.

Formae logaoedicae inveniuntur plurimae. Aeschylus in Prom. 165. numerum condidit ex trochaico monometro hypercatalecto et logaoedico, qui septem dactylos et duos spondeos complectitur. Brevissima forma apud Pindarum exstat Ol. I.

ἐξαπατῶντι μῦθοι.

§. 353.

In arsin exeunt hi. Pind. Nem. VI. epod. 4.

ἔρνεα πρῶτος ἀπ' Ἀλφεοῦ.

Soph. El. 1414.

μοῖρα καθαμερία φθίνει, φθίνει.

§. 354.

In tres trochaeos terminantur hi: Soph. Oed. C. 119.

ἐκτόπιος συθεὶς ὁ πάντων.

In Electr. 1413.

ὦ πόλις, ὦ γενεὰ τάλαινα, νῦν σε.

§. 355.

Videri saepe possunt logaoedici esse, qui alios numeros habent, antispasticos maxime et choriambicos, in primis apud scenicos poetas. Produnt se hi tum mensuris in antistropha a logaoedico numero alienis, tum consociatione cum aliis numeris, quae eos his potius, quam logaoedicis adnumerandos docet. Id fieri solet in his potissimum formis:

–́⏑⏑–⏑–⏑	⏒ –́ –́⏑–⏑ ⏑⏑
–́⏑⏑–⏑–⏑–	–́⏑⏑– | ⏒ –́ ⏑– ⏑⏑
–́⏑⏑–⏑⏑–⏑–	–́⏑⏑ | – –́ –́⏒–́ ⏑⏑
–́⏑⏑–⏑⏑–⏑–⏑	–́⏑⏑ | –⏑́⏑–́⏑–⏑

§. 356.

Praemittitur etiam basis logaoedico numero. Cuius generis sunt **G l y c o n e i** et **P h e r e c r a t e i**, de quibus lib. III. dicetur. Alius nobilissimus versus est **P h a l a e c e u s h e n d e c a s y l l a b u s**, male a metricis ad antispastos relatus. Is hoc numero est:

∴́ ∴́ –́⏑⏑–⏑–⏑–⏑

Pind. Ol. XIV.

αἵτε ναίετε καλλίπωλον ἕδραν.

In basi non memini pyrrhichium invenire. Ceteri pedes puri servantur. Catullus in solo carmine LV., ad quod pertinere etiam decem versus, qui in codice p. 28, 21—30. leguntur, Lachmannus monuit, aliquoties pro dactylo spondeum posuit, de industria ipsis numeris se fatigatum quaeritando ostendens:

órámús si forte non molestum est.

Eo ille Graecos metricos refutavit, qui spondeo admisso non poterant hanc huius metri formam constituere:

–⏑ –⏑ | ⏑–⏑– | ⏑–
⏑–
⏑⏑
––

In eodem Catulli carmine, quod alibi non factum, basis tribrachum habet in hoc versu:

Camerium mihi pessimae puellae.

Idem poeta ultimam versus hypermetri syllabam in sequentem versum elisit XL. 1.

quaenam te mala mens, miselle Ravide,
agit praecipitem in meos iambos.

§. 357.

Apud tragicos saepe hic versus invenitur,

θηξίθυμον ἔρωτος ἄνθος.

Aesch. Ag. 752. Qui ubi iambum vel spondeum ab initio habet, interdum non logaoedicus, sed hoc numero est,

⏒–́–́⏒ | ⏑–́⏑–⏑

Aesch. Ag. 749. 762.

ἀκασκαῖον ἄγαλμα πλούτου
τεκνοῦσθαι, μηδ' ἄπαιδα θνήσκειν.

§. 358.

Vna syllaba longior hic est apud Pind. Isthm. VII. epod. 1.

μυρίων ἑτάρων ἐς Ἄργος ἵππιον.

CAP. XXX.

De versibus anapaesticis.

§. 359.

Versuum anapaesticorum duo genera sunt, unum, quod per dipodias incedens plenam habet mensuram arseos, unde spondeum, dactylum, proceleusmaticum recipit, hac forma,

```
 –  |    –
⏑⏑ | –́  ⏑⏑  –
    | ⏑⏑      ⏑⏑
```

alterum, qui cyclii anapaesti vocantur, quod ex longioribus ordinibus constat, et arsin habet irrationalem; unde et solutio arseos exclusa est, nisi forte in nomine proprio, nec dactylus pro anapaesto admittitur. De his v. Dionys. Hal. de comp. verb. p. 226.

§. 360.

Eorum, qui per dipodias incedunt, saepe invenitur, monometer acatalectus:

κατὰ γᾶν οἰκεῖν.

Aesch. Eum. 841. 844. 846. Frequens hic est in systematis dimetrorum, ubi basis anapaestica vocari solet. Synesius tres hymnos hoc metro scripsit, in secundo pede, quoniam ultimam contra morem veterum ancipitem esse statuebat, etiam tribrachum et trochaeum sibi indulgens.

§. 361.

Trimetro catalectico Simmiam integrum carmen scripsisse testatur Hephaestio:

Ἱστία ἁγνά, ἀπ' εὐξείνων μέσα τοίχων.

§. 362.

Plures anapaesticorum versuum formas enumerat Servius in Centimetro. V. Gaisf. ad Heph. p. 290. seq.

CAP. XXXI.

De anapaesticis dimetris.

§. 363.

Continuatio numeri eiusdem per systemata quum in omnibus numeris, tum maxime in anapaestico scenicorum poetarum propria est. Haec anapaestica systemata, nunc antistrophica sunt, nunc non antistrophica: nunc Dorica dialecto, nunc communi, nunc promiscue utraque scripta. Sunt autem alia systemata legitima, quae finiuntur versu catalectico,

qui paroemiacus vocatur; alia non legitima, quae liberiorem conformationem habent: et haec plerumque Dorica dialecto scripta sunt.

§. 364.

In legitimis systematis perpetuitatem numeri, exclusamque a fine versuum syllabam ancipitem primus animadvertit Bentleius in epist. ad Millium et diss. de Phalaride. Cetera persecutus est Porsonus in praef. ad Hec. p. 45. seq. Quamquam hiatus et syllaba brevis, quae quidem in consonantem exeat, interdum in fine versus, ubi vel persona mutatur, vel finis sententiae est, admissa invenitur. Vide Soph. Oed. C. 139. 143. 170. 173. Eurip. Hec. 82. Aesch. Agam. 803. Pariterque hiatus in exclamatione et allocutione veniam habet. Aesch. Ag. 1546.

ἰὼ γᾶ, γᾶ, εἴθε μ' ἐδέξω.

Soph. Oed. C. 180.

ἄγε νῦν σύ με, παῖ,
ἵν' ἂν εὐσεβίας ἐπιβαίνοντες.

Nusquam vero Creticum in fine versus poni licitum.

§. 365.

Eum hiatum, qui fit longa vocali diphthongove ante vocalem corripienda, non nimis raro invenias. Aesch. Pers. 39. 542.

καὶ ἑλειοβάται ναῶν ἐρέται.
ποθέουσαι ἰδεῖν ἀρτιζυγίαν.

Et in dactylo anapaesti locum tenente, v. 61. et ap. Eurip. Hec. 125.

οἴχεται ἀνδρῶν.
τὼ Θησείδα δ' ὄζω 'Αθηνῶν.

V. Seidl. de verss. dochm. p. 96.

§. 366.

Caesuram paroemiacus nullam, sed acatalecti dimetri legitimam habent in secunda arsi:

Τελαμώνιε παῖ, τῆς ἀμφιρύτου.

Saepe tamen caesura fit in brevi syllaba, quae hanc arsin sequitur. Aesch. Ag. 52.

πτερύγων ἐρετμοῖσιν ἐρεσσομένη.

Exempla collegit Gaisford. ad Heph. p. 279. Vtraque caesura non plane neglecta putatur, si fit in commissura verbi compositi. Aesch. Prom. 172. Aristoph. Thesm. 49.

καί μ' οὔτε μελι-γλώσσοις πειθοῦς.
μέλλει γὰρ ὁ καλλι-επὴς Ἀγάθων.

Sed haec rara sunt. Apud comicos tamen interdum, sed perraro, negligi videtur caesura: Aristoph. Pac. 1002.

δούλοισι χλανισκιδίων μικρῶν.

Quod in Avibus v. 523. legitur,

νῦν δ' ἀνδράποδ', ἠλιθίους, Μανᾶς,

censor nescio quis in diurnis litterariis Ienensibus a. 1823. n. 30. eiectis quae interpretes adscripserunt, recte indicavit sic emendandum esse, postulante etiam versu antithetico, qui est 611.

νῦν δ' αὖ Μανᾶς.

Vitiosum est etiam quod ibidem invenitur v. 536.

κἄπειτα κατεσκέδασαν θερμόν.

Corrigendus finis systematis hoc modo:

κᾆτ' ἐσκέδασαν θερμὸν ψυχρῶν
τοῦτο καθ' ὑμῶν
αὔτως ὥςπερ κενεβρείων.

§. 367.

Rarissime vocabulum etiam ultra versum una brevi syllaba protenditur. Aristoph. Vesp. 750.

ἵν' ὁ κήρυξ, φησί· τίς ἀψήφι-
στος; ἀνιστάσθω.

Hic enim, si priorem versum monometrum facias, in hoc illa vocabuli divisio admittenda erit. Plerumque, apud tragicos potissimum, monometro constituendo vitatur haec divisio, ut in Agam. 1564.

ἀλλ' Ἰφιγένειά νιν ἀσπασίως
θυγάτηρ, ὡς χρή,
πατέρ' ἀντιάσασα πρὸς ὠκύπορον.

Atque ubique, si antistrophica carmina sunt, etiam antistropha tali distinctioni favet, quae saepe, sensu postulante ita facienda est, ut plures monometri uno in systemate sint. Vide Aristoph. Nub. 1012.

§. 368.

Proceleusmaticus apud tragicos non invenitur in legitimis systematis pro anapaesto. Rarissime apud comicos. Aristoph. Nub. 916.

διὰ σὲ δὲ φοιτᾶν.

§. 369.

Anapaestum in legitimis systematis apud tragicos non antecedit dactylus in eadem dipodia; apud comicos raro. Aristoph. Pac. 168.

καὶ μύρον ἐπιχεῖς; ὡς ἣν τι πεσών.

V. Ephippum ap. Athen. VII. p. 322. E. Sed finitae dactylo dipodiae recte succedit apud tragicos anapaestus. Eurip. El. 1319.

θάρσει, Παλλάδος ὁσίαν ἥξεις.

praesertim dactylo finem versus tenente, ut ibidem v. 1322.

σύγγονε φίλτατε·
διὰ γὰρ ζευγνῦσ' ἡμᾶς πατρῴων.

V. Aesch. S. ad Th. 833. 873.

§. 370.

Dactyli saepissime substituuntur anapaestis, etiam continui. Quinque habet Aeschylus Agam. 1561., septem Euripides in Hippol. 1361. cuiusmodi versus cavendum ne quis ictu in prima dactyli syllaba facto, quum in secunda debeat, in recitando mutet in dactylicos:

πρόςφορά μ' αἴρετε, σύντονα δ' ἕλκετε
τὸν κακοδαίμονα καὶ κατάρατον.

§. 371.

Qui claudit legitima systemata paroemiacus, eosdem pedes habet, quos exitus versus heroici: raro ut tertius spondeus sit: Aesch. Pers. 52.

ἵππων τ' ἐλατὴρ Σωσθάνης.

V. Agam. 374. Suppl. 8. Primus tamen pes saepe dactylus est. Aesch. Choeph. 377.

παισὶ δὲ μᾶλλον γεγένηται.

§. 372.

Versu paroemiaco sententiam finiri par est, etiam si aliud deinde systema anapaesticum sequitur. Sed sufficit etiam minor interpunctio interdum, ut in Agam. 65.

διακναιομένης τ' ἐν προτελείοις
κάμακος θήσων Δαναοῖσιν,
Τρωσί θ' ὁμοίως.

De quo loco v. Elem. d. m. p. 379.

§. 373.

Antistrophica ubi sunt haec systemata, non pes pedi respondet, sed divisio tamen metrorum solet similis esse. V. §. 367. Brevissima systemata videntur ex uno dimetro et paroemiaco constare. Sic in Agam. 363.

ὦ Ζεῦ βασιλεῦ καὶ νὺξ φιλία
μεγάλων κόσμων κτεάτειρα.

Et saepius apud Aeschylum.

§. 374.

Systemata non legitima ab legitimis per gradus discedunt, ut interdum his simillima, alibi autem dissimillima videantur. Differunt mensura, quod proceleusmaticum non modo admittunt, sed saepe fere toti versus ex proceleusmaticis constant; alibi autem fere ex solis spondeis componuntur; caesura, quod haec non modo potest negligi, sed saepe de industria negligitur; perpetuitate, quod nonnumquam vel cohaerent cum aliis numeris, vel ab iis interpellantur, ac ne ipsi quidem anapaestici versus tanta severitate, ut legitimi, copulati sunt; usu paroemiaci, quod ab hoc etiam initium fieri potest, multique saepe paroemiaci continui ponuntur; catalexi denique, quod non certam habent clausulam, sed nunc uno, nunc pluribus paroemiacis, alibi nullo, alibi etiam alio numero terminantur.

§. 375.

Systematum non legitimorum, sed non multum a legitimis recedentium, hoc sit exemplum. Soph. Antig. 929. ubi primum systema stropham, antistropham et epodum continet.

Χ. ἔτι τῶν αὐτῶν ἀνέμων ῥιπαὶ στρ.
τήνδε γ' ἔχουσιν.
ΚΡ. τοίγαρ τούτων τοῖσιν ἄγουσιν
κλαύμαθ' ὑπάρξει βραδυτῆτος ὕπερ.

X. οἴμοι, θανάτου τοῦτ' ἐγγυτάτω — ἀντ.
τοὔπος ἀφῖκται.
KP. θαρσεῖν οὐδὲν παραμυθοῦμαι,
μὴ οὐ τάδε ταύτῃ κατακυροῦσθαι.
ANT. ὦ γῆς Θήβης ἄστυ πατρῷον, — ἐπῳδ.
θεοί τε πατρογενεῖς,
  ἄγομαι δή, κοὐκ ἔτι μέλλω.
λεύσσετε, Θήβης οἱ κοιρανίδαι,
τὴν βασιλίδα τὴν μούνην λοιπήν,
οἷα πρὸς οἵων ἀνδρῶν πάσχω,
  τὴν εὐσεβίαν σεβίσασα.

Vide Eurip. Hec. 59—99. ed. Pors., ubi admixti sunt quidam alii versus. Finiuntur isti anapaesti versu caesura carente et paroemiaco in secundo pede dactylum habente:

ἀπ' ἐμᾶς οὖν, ἀπ' ἐμᾶς τόδε παιδὸς
  πέμψατε, δαίμονες, ἱκετεύω.

§. 376.

Liberioris systemati shoc exemplum ponimus. Eur. Hecub. 156.

οἲ 'γὼ μελέα, τί ποτ' ἀπύσω;
ποίαν ἀχώ; ποῖον ὀδυρμόν;
δειλαία δειλαίου γήρως,
  δουλείας τᾶς οὐ τλατᾶς,
  τᾶς οὐ φερτᾶς. ὤ μοί μοι.
τίς ἀμύνει μοι; ποία γενεά;
ποία δὲ πόλις; φροῦδος πρέσβυς,
φροῦδοι παῖδες.
ποίαν, ἢ ταύταν, ἢ κείναν
στείχω; ποῦ τις θεῶν ἢ δαίμων
ἐπαρωγός; ἰὼ κάκ' ἐνεγκοῦσαι
Τρῳάδες, ὦ κάκ' ἐνεγκοῦσαι
πήματ', ἀπωλέσατ', ὠλέσατ'· οὐκέτι μοι βίος
  ἀγαστὸς ἐν φάει.

15. ὦ τλάμων, ἄγησαί μοι, πούς,
ἄγησαι τᾷ γηραιᾷ
πρὸς τάνδ' αὐλάν· ὦ τέκνον, ὦ παῖ
δυστανοτάτας ματέρος, ἔξελθ',
ἔξελθ' οἴκων, ἄϊε ματρός.

Quorum versuum duodecimus, tertius decimus, undevicesimus dactylici sunt, quartus decimus iambicus.

§. 377.

Systematis in quo solutiones crebrae sunt, exemplum praebet Aristophanes Av. 328.

προδεδόμεθ', ἀνόσιά τ'
ἐπάθομεν· ὃς γὰρ φίλος ἦν, ὁμότροφά θ'
ἡμῖν ἐνέμετο πεδία παρ' ἡμῖν,
παρέβη μὲν θεσμοὺς ἀρχαίους,
παρέβη δ' ὅρκους ὀρνίθων.

De antistropha horum v. Elem. d. m. p. 384. Aeschylus in Persis v. 938.

πρόςφθογγόν σοι νόστου τὰν
κακοφάτιδα βοάν, κακομέλετον ἰὰν
Μαριανδυνοῦ θρηνητῆρος
πέμψω, πέμψω, πολύδακρυν ἰαχάν.

§. 378.

Dimetrum solutas arses habentem fuerunt qui **proceleusmaticum tetrametrum Aristophaneum** vocarent, ut Hephaestio refert: sed peritioribus anapaesticum dici:

τίς ὄρεα βαθύκομα τάδ' ἐπέσυτο βροτῶν;

§. 379.

Spondiacos illos, quibus saepe plures continui catalectici inseruntur, ut valde graves et moestitiae aptos, tragici potissimum usurparunt, ita fere, ut antistrophici essent. Propria horum est neglectio caesurae. Catalectici illi, sive

paroemiaci, etsi ultimam habent ancipitem, tamen plerumque curatur, ut ea syllaba longa sit, quod id aptius toti horum versuum indoli visum est. Exempla horum versuum sunt in Persis a v. 925. in Hecuba, quorum quaedam allata §. 376. in Troadibus, in Iphigenia Taurica, in Ione, et alibi; tum apud Aristoph. in Ran. 372. ss. in Av. 1058. ss. in Pace 433. s. 464. ss. His spondiacis paroemiacis Synesius hymnum V. scripsit.

§. 380.

Si quando his versibus iunctus invenitur monometer hypercatalectus, verisimilius videtur, eum dochmiacum esse: ut in Hecub. 193. 196. ed. Pors.

Πηλείδα, γέννα.
μάνυσον, μᾶτερ.

Nec dicam qui in Trachiniis sunt v. 1085. 1086.

ὦναξ Ἅιδη, δέξαι μ᾽,
ὦ Διὸς ἀκτὶς, παῖσόν μ᾽,

anapaesticos dimetros brachycatalectos potius, quam iambicos ischiorrhogicos esse, praesertim quum medii sint inter trimetros iambicos.

Ceterum quos G. Dindorfius ad Aristophanis Aves v. 333. in editione anni 1830. et in adnotationibus ad Euripidis Iphigeniam in Tauris v. 130. commentus est versus anapaesticos imperfecta mensura, nec fuerunt umquam ulli nec potuerunt esse. De his dixi ad Iphigeniae Tauricae v. 192.

§. 381.

Romanorum veteres tragicos legitima systemata eadem numeri perpetuitate, ut Graecos, condidisse ostendit Bentleius in epistola ad Millium p. 474. ed. Lips. Attius in Philocteta:

heí quis salsis fluctibus mandet
me ex súblimi vertice saxi?
iamiam ábsumor: conficit animum
vis vólneris, ulceris aéstus.

Vsus hoc genere est etiam Plautus, sed minore elegantia, et ut solutiones crebras admitteret, ipsoque in paroemiaco ultimam arsin solvere non dubitaret, ut in Sticho I. 1. de qua scena v. Elem. d. m. p. 391. seq.

placet: táceo. at memineris fácito.

Idem poeta hoc genus versuum etiam aliis metris miscuisse videtur, de qua re ibidem dictum. In tragoediis Senecae adscriptis saepe systemata ex dimetris anapaesticis inveniuntur, sed carentia paroemiaco, quod insignem inscitiam istorum poetarum arguit.

§. 382.

Plautus etiam anapaestis spondiacis usus est in Sticho II. 1, 37.

aperíte atque approperáte, fores
facite út pateant, removéte moram.
nimis haéc res sine curá geritur:
vide quám dudum hic adsto ét pulto.
somnóne operam datis? éxperiar,
fores, án cubiti, an pedes plús valeant.
nimis véllem hae fores herum fúgissent,
ea caússa ut haberent málum magnum.
deféssus sum pultándo.
nunc hóc postremum est vóbis.
G. ibo átque hunc compellábo.
salvós sis. D. et tu sálve.
G. iam tú piscator fáctu's?
D. quam prídem non edísti?
G. unde is? quid fers? quid féstinas?
D. tua quód nil reffert, né cures.
G. quid istúc est? D. quas tu-edés colubras.

G. quid tam íracundu's? D. si ín te
pudor ássit, non me appélles.
G. possúm scire ex te vérum?
D. potes: hódie non coenábis.

CAP. XXXII.

De anapaesticis tetrametris.

§. 383.

Tetrametri duo in usu fuerunt, acatalectus, quem soli Romani videntur usurpasse, et catalecticus, comoediae proprius, quo utrique usi sunt. De catalectico, qui Aristophaneus vocatur, accurate disseruit Porsonus in praef. ad Hec. p. 46. seqq. Constat hic versus dimetro acatalecto et paroemiaco, caesura in fine quarti pedis sedulo observata, plerumque etiam incisione facta in secundi pedis fine, tum evitato ubique proceleusmatico.

§. 384.

Quamvis diligenter caesura in fine quarti pedis observetur, tamen videtur ea, licet rarissime, etiam facta esse in proxime sequente brevi syllaba, ut in dimetro: v. §. 366. Aristoph. Av. 600.

τῶν ἀργυρίων· οὗτοι γὰρ ἴσασι· λέγουσι δέ τοι τάδε
πάντες.

In fragmento Cratini apud Scholiastam Aristophanis ad Aves v. 767.

καὶ πρῶτον μὲν παρὰ ναυτοδικῶν ἀπάγω τρία κνώδαλ' ἀναιδῆ,
Πισίαν, Ὀσφύωνα, Διίτρεφῆ.

non putanda est neglecta esse caesura, diviso in sua elementa nomine proprio. Vide §. 60. De mensura huius nominis *Διϊτρεφὴς* dixit Elmsleius ad Medeae v. 326.

§. 385.

Caesura ea, quae est in fine secundi pedis, saepe negligitur, sed plerumque sic, ut in proxima brevi incidatur, quae alia potius caesura, quam neglectio caesurae est. Vt in Pluto v. 570.

ἐπιβουλεύουσί τε τῷ πλήθει.

Sed saepe revera negligitur secundi pedis caesura, modo id fiat verbis non inelegauter dispositis, ut si secundus pes dactylus est, et in longa anacrusi tertii pedis verbum terminatur: ut in Eq. 508. Vesp. 684.

ἠνάγκαζεν ἔπη λέξοντας.
σοὶ δ' ἦν τίς γε διδῷ τρεῖς ὀβόλους.

Vbi scribendum:

ἠνάγκαζεν λέξοντας ἔπη.
σοὶ δ' ἦν τις δῷ τοὺς τρεῖς ὀβόλους.

Neque elegans est versus, cuius quartus pes voce monosyllaba finitur: etsi aliquot huiusmodi exempla inveniuntur: ut in Eq. 525.

ἐξεβλήθη πρεσβύτης ὤν.

Vide de his rebus omnibus Elem. d. m. p. 399. seqq.

§. 386.

Non invenitur in his versibus proceleusmaticus pro anapaesto positus, nec dactylus sequente anapaesto, nisi ita ut dactylus quartum locum teneat. Quod etsi rarissimum est, tamen non magis reprehendi potest, quam eadem in dimetris dactyli et anapaesti coniunctio, de qua monitum §. 369. Aristoph. Vesp. 397.

αὐτὸν δήσας, ὦ μιαρώτατε, τί ποιεῖς; οὐ μὴ καταβήσει.

§. 387.

Dactylus etiam alias raro quartam sedem tenet, non ille tamen propter raritatem, ut Porsono visum, corrigendus. Aristoph. Vesp. 350. Nub. 326.

ἔστιν ὀπὴ δῆθ', ἥντιν' ἂν ἔνδοθεν οἷός τ' εἴης διορύξαι.
ὡς οὐ καθορῶ· παρὰ τὴν εἴςοδον· ἤδη νῦν ὡς μόλις αὐτάς.

V. Elem. d. m. p. 402. seq.

§. 388.

Posterior huius versus pars apud Aristophanem has tantum mensuras habet.

⏑ ⏑ –́	⏑ ⏑ –	⏖ –́	⏒
– –	–		
– ⏖			

Sed Cratinus, et ante eum Epicharmus, et hoc quoque prior Aristoxenus Selinuntius, etiam spondiaco exitu usi sunt:

ὡς ἂν μᾶλλον τοῖς πηδαλίοις ἡ ναῦς ἡμῶν πειθάρχῃ.

Cuiusmodi versus Laconicos a quibusdam dictos tradit Hephaestio, hoc usus exemplo:

ἄγετ', ὦ Σπάρτας ἔνοπλοι κοῦροι, ποτὶ τὰν Ἄρεος κίνασιν.

§. 389.

Hiatum admittit hoc metrum in correpta longa vocali diphthongove:

ἢ παρδάλει ἢ λύκῳ ἢ ταύρῳ.

Non elegans est hic hiatus in Nub. 977. Vesp. 673.

ἠλείψατο δ' ἂν τοὐμφαλοῦ οὐδείς.
οἱ δὲ ξύμμαχοι ὡς ἥσθηνται.

§. 390.

Vt ex Plauto apparet, etiam Romani comici hoc genere versuum usi sunt. V. Mil. glor. IV. 2, 20. seqq. in Elem. d. m. p. 405. seqq. Hic quidem neque a proceleusmatico abstinuit, neque ab exitu spondiaco, nec dubitavit postremam arsin solvere. Satis sit, hos ex illa scena versus attulisse.

frustrór. patere atque adstá. tibi ego hanc do operám. properando excrúcior.
pedeténtim: tu haec scis: tráctare itá solitú's has huiusmodi mérces.
age, age, út tibi maxime cóncinnumst. nullum ést hoc stolidius sáxum.
redeo ád te. quid me vóluisti? quo pácto hoc dudum accépi,
istúc fero ego ad te cónsilium. quasi hunc dépereat. teneo ístuc.
collaúdato formam ét faciem, et virtútes commemoráto.

§. 391.

Idem poeta fecit etiam octonarios, sive tetrametros acatalectos, ut in Aulul. IV. 9.

perii, ínterii, occidi: quó curram? quo nón curram? tene, téne, quem? quis?
nescío, nil video, caécus eo, atque equidém quo eam aut ubi sim, aút qui sim,
nequeó cum animo certum ínvestigare: óbsecro vos ego, mi aúxilio,
oro, óbtestor, sitís et hominem demónstretis, qui eam ábstulerit.
quid ais tu? tibi credére certum est: nam essé bonum, e voltu cógnosco.
quid est? quíd ridetis? nóvi omnis: scio fúres esse hic cómpluris,
qui véstitu et creta óccultant sese, átque sedent, quasi sínt frugi.

§. 392.

Consociavit Plautus hos versus etiam cum septenariis, sive catalecticis, ut in Casina II. 3. v. Elem. d. m. p. 413. seqq. Idem alternis octonarios et septenarios posuit in Bacchidibus IV. 10., quae scena remotis interpretum adnotationibus sic scribenda videtur:

quam mágis in pectore meó foveo quas méus filius turbás turbet,
quam se ád vitam et quos ád mores praecípitem inscitus capéssat,
magis cúrae est magisque affórmido ne is péreat neu corrúmpatur.
scio: fúi ego illa aetate ét feci illa omnía, sed more modésto.
neque plácitant mores quíbus video volgó gnatis essé parentes.
duxi, hábui scortum, pótavi, dedi, dónavi: at enim id ráro.
ego dáre me ludum meó gnato instítui atque animo suo óbsequium.
aequum ésse puto: sed nímis nolo desídiae. nunc Mnesílochum,
quod mándavi, viso, écquid eum ad virtútem opera sua cómpulerit,
sicút, si convenít, scio fecisse: cóst ingenio nátus.

CAP. XXXIII.

De anapaestis cycliis.

§. 393.

Anapaesti cyclii vocantur, ut §. 359. indicatum, qui arsin irrationalem habent. Iique nec solutionem admittunt, nisi forte in nomine proprio, nec dipodiis incedunt, eoque etiam caesura carent. Multa horum et varia genera sunt.

§. 394.

Referuntur huc a metricis dactylici quidam numeri, qui anacrusin habent iambicam, eoque proprie non sunt anapaesti. Vt hoc metrum Archilochi:

Ἐρασμονίδη Χαρίλαε.
Δήμητρί τε χεῖρας ἀνασχών.

In quo versu si anapaestum in principio posuisse nonnumquam videtur Archilochus, contractio potius facienda:

ἐρέω, πολὺ φίλταθ' ἑταίρων.
φιλέειν, στυγνόν περ ἐόντα.

Hunc versum et alium una syllaba breviorem posuit Aeschylus in Sept. ad Theb. 757.

ἐγείνατο μὲν μόρον αὐτῷ
πατροκτόνον Οἰδιπόδαν.

§. 395.

Vere anapaesti cyclii hi sunt. Aesch. Pers. 954. 958.

Ἰάνων γὰρ ἀπηύρα.
δυςδαίμονά τ' ἀκτάν.

Et v. 957. Agam. 110.

νυχίαν πλάκα κερσάμενος.
δίθρονον κράτος, Ἑλλάδος ἥβας.

Aristoph. Av. 1316.

κατέχουσι δ' ἔρωτες ἐμᾶς πόλεως.

quo metro usus Lucianus in Tragodopodagra 190. seqq.

§. 396.

Praemisit cyclium versum vulgaribus anapaestis Aristoph. Pac. 943.

ἐπείγετε νῦν ἐν ὅσῳ
σοβαρὰ θεόθεν κατέχει πολέμου
μετάτροπος αὔρα. νῦν γὰρ δαίμων
φανερῶς εἰς ἀγαθὰ μεταβιβάζει.

CAP. XXXIV.

De anapaesticis logaoedicis.

§. 397.

Irrationalem arsin habent etiam anapaesti logaoedici. Horum celeberrimus est versus Archebuleus cuius in primo pede et anapaestum et spondeum et iambum inveniri, his Callimachi exemplis docet Hephaestio:

ἀγέτω θεός· οὐ γὰρ ἔχω δίχα τῶνδ' ἀείδειν.
νύμφα, σὺ μὲν ἀστερίαν ὑφ' ἅμαξαν ἤδη.
φιλωτέρα ἄρτι γὰρ ἁ Σικέλα μὲν Ἔννα.

Sed verisimile est, Callimachum *φιλιωτέρα* scripsisse, et primum pedem non nisi anapaestum aut spondeum fuisse.

§. 398.

Aliud genus habet Aristophanes in Av. 1313.

ταχὺ δ' ἂν πολυάνορα τὰν πόλιν.

Quod Lucianus in Tragodopodagra v. 87. seqq. catalectico mixtum posuit:

> τὰν μὲν Κυπρίαν Ἀφροδίταν,
> σταγόνων προπεσοῦσαν ἀπ' αἰθέρος,
> ἀνεθρέψατο κόσμιον ἁρμογὰν
> ἁλίοις ἐνὶ κύμασι Νηρεύς.

Semel hic in medio catalectico spondeum, sed in nomine proprio, admisit, v. 107.

> Μοῖρα Κλωθὼ τότ' ἔλουσεν.

Alia exempla praebent Dionysii et Mesomedis hymni.

§. 399.

Crebrum est apud Aristophanem aliud genus, systematis comprehensum: ut in Pace v. 909.

> ἦ χρηστὸς ἀνὴρ πολί-
> ταις ἐστὶν ἅπασιν, ὅσ-
> τις γ' ἐστὶ τοιοῦτος.

§. 400.

Idem poeta apud Athenaeum IX. p. 410. B. alio versu usus est, cuius prior pars nescio an ex vulgaribus anapaestis constet:

> φέρε, παῖ, ταχέως κατὰ χειρὸς ὕδωρ, παράπεμπε τὸ χει-
> ρόμακτρον.

§. 401.

Multi inveniuntur logaoedici versus, qui quod iambicam anacrusin habent, proprie non sunt anapaestici. Euripides Med. 152.

> τί σοί ποτε τᾶς ἀπλάστου
> κοίτας ἔρος, ὦ ματαία,
> σπεύσει θανάτου τελευτάν·
> μηδὲν τόδε λίσσου.

Soph. Oed. Col. 669.

ἵκου τὰ κράτιστα γᾶς ἔπαυλα.

Eurip. Hec. 450.

θοὰς ἀκατοὺς ἐπ᾽ οἶδμα λίμνας.

CAP. XXXV.

De versibus choriambicis.

§. 402.

Tertium genus numerorum dactylicorum choriambici sunt, qui plerumque et solutionibus carent, nec nisi rarissime, et apud solos scenicos poetas, Molossum pro choriambo admittunt. Quoniam autem vehementissimus hic numerus est, lyrici mediae aetatis et comici ei saepe substituunt alium, similem incessu, sed leniorem, mensura autem parem: i. e. Creticum cum anacrusi iambica, sive mavis dipodiam iambicam vocare. Sed in hac comici plus sibi licentiae indulgent, non modo solvenda prima arsi, sed etiam in anacrusi longam admittendo, hac forma:

⏒ | ⏑́ ⏑ –
  | ⏑⏑

Disyllaba anacrusis sicubi invenitur, si carmen antistrophicum est, debet etiam in versu qui respondet esse. Quare in Aristoph. Lys. 345. non mutanda librorum scriptura,

πολιοῦχε, σὰς ἔσχον ἕδρας.

Excidit ibi qui respondebat versus strophicus.

§. 403.

Catalexis multiplex est. Perraro ipse choriambus facit clausulam. Vsitatissima est logaoedica catalexis, dein quae

fit in duos dactylos; rarior, quae fit Cretico; rarissima, quae trochaeo. Aliquando etiam hypercatalecti sunt, aut ditrochaeo terminantur.

–́⏑⏑–⏑–⏑

–́⏑⏑–⏑⏓

–́⏑⏑– | –́⏑–

–́⏑⏑– | –́⏓

–́⏑⏑–⏓

–́⏑⏑– | –́⏑–⏓

§. 404.

Primi generis hi versus sunt:

οὐκ ἔτος, ὦ γυναῖκες.
δακρυόεσσάν τ' ἐφίλησεν αἰχμάν.
δεῦτέ νυν, ἁβραὶ Χάριτες, καλλίκομοί τε Μοῖσαι.

Quo in genere Hephaestio Anacreontem quodam in carmine semper primam arsin solvisse ait:

ἀναπέτομαι δὴ πρὸς Ὄλυμπον πτερύγεσσι κούφαις
διὰ τὸν ἔρωτ'· οὐ γὰρ ἐμοὶ παῖς ἐθέλει συνηβᾶν.

Pentametro Callimachus integrum carmen, Branchum, condidit:

δαίμονες εὐυμνότατοι, Φοῖβέ τε καὶ Ζεῦ, διδύμων γενάρχαι.

Hexametrum ab se inventum gloriatus est Philicus Corcyraeus; falso, quum Simmias iam eo usus fuerit in Securi et in Alis.

§. 405.

Tertii generis (nam secundum in iis potissimum versibus, qui basin habent, invenitur) Hephaestio haec exempla affert:

ἰστόπονοι μείρακες.
οὐδὲ λεόντων σθένος, οὐδὲ τροφαί.
αἱ Κυθερείας ἐπιπνεῖτ' ὄργια λευκωλένου.

In Aristophanis Lysistrata v. 338. scribendum videtur:

ἀνὰ πόλιν, ὡς ἐς τριτάλαντον βάρος.

Strophici versus tres ultimae syllabae exciderunt.

§. 406.

Quartae, quintae, sextae terminationis haec exempla sint. Aristoph. Lysistr. 323. Soph. Ai. 226. Aesch. S. ad Th. 741.

τε καὶ Κριτύλλαν περιφυσήτω.
τὰν ὁ μέγας μῦθος ἀέξει.
αὐτοδάϊκτοι θάνωσι.

§. 407.

Dimeter catalecticus, qui ex uno ordine logaoedico constat, neque choriambicis, nisi quia catalexi inservit, adnumerari potest, apud poetas scenicos interdum in systematis repetitus invenitur, raro admissis solutionibus. Eurip. Bacch. 105.

ὦ Σεμέλας τροφοὶ Θῆ-
βαι, στεφανοῦσθε κισσῷ·
βρύετε, βρύετε χλοηρᾷ
σμίλακι καλλικάρπῳ.

§. 408.

Clauduntur hoc versu systemata dimetrorum acatalectorum. Aesch. S. ad Th. 924.

δαϊόφρων, οὐ φιλογα-
θής, ἐτύμως δακρυχέων
ἐκ φρενός, ἁ κλαιομένας
μου μινύθει
τοῖνδε δυοῖν ἀνάκτοιν.

Hi dimetri quoniam prima syllaba recisa Ionicos a minore referunt, facile cum his confundi possunt, praesertim ubi

consociati sunt utriusque generis versus, ut in Soph. Oed. R. 483.

δεινὰ μὲν οὖν, δεινὰ ταράσσει σοφὸς οἰωνοθέτας
οὔτε δοκοῦντ', οὔτ' ἀποφάσκονθ'· ὅ τι λέξω δ' ἀπορῶ.
πέτομαι δ' ἐλπίσιν οὔτ' ἐνθάδ' ὁρῶν οὔτ' ὀπίσω.
τί γὰρ ἢ Λαβδακίδαις
ἢ τῷ Πολύβου νεῖκος ἔκειτ' οὔτε πάροιθέν ποτ' ἔγωγ'
οὔτε τανῦν πω
ἔμαθον πρὸς ὅτου δὴ βασάνῳ —◡◡—
ἐπὶ τὰν ἐπίδαμον φάτιν εἶμ' Οἰδιπόδα
Λαβδακίδαις ἐπίκουρος ἀδήλων θανάτων.

§. 409.

Alia dimetri forma ex choriambo et diiambo vel contra constat. Aristoph. Nub. 563.

ὑψιμέδοντα μὲν θεῶν
Ζῆνα τύραννον ἐς χορὸν
πρῶτα μέγαν κικλήσκω.
τόν τε μεγασθενῆ τριαί-
νης ταμίαν,
γῆς τε καὶ ἁλμυρᾶς θαλάσ-
σης ἄγριον μοχλευτήν.

Rarius hoc genus apud tragicos est. V. Aesch. Suppl. 105. Comici saepe a diiambo initium faciunt, etiam sic, ut in antistropha diiambus choriambo respondeat. Sic in Vespis 526.

νῦν δὲ τὸν ἐκ θἠμετέρου
γυμνασίου λέγειν τι δεῖ
καινὸν, ὅπως φανήσει,

quibus respondent v. 631.

οὐπώποθ' οὕτω καθαρῶς
οὐδενὸς ἠκούσαμεν, οὐ-
δὲ ξυνετῶς λέγοντος.

Iidem solvunt etiam primam arsin diiambi. Lysistr. 324.

ὑπό τε νόμων ἀργαλέων
ὑπό τε γερόντων ὀλέθρων.

et anacrusi longa: v. 339.

δεινόταт᾽ ἀπειλοῦντας ἐπῶν.

Quin etiam ante catalexin dipodiam iambicam admittunt, oppositam etiam choriambo; 336. 440.

ἀλλὰ φοβοῦμαι τόδε. μῶν
ὑστερόπους βοηθῶ.
ὡς πυρὶ χρὴ τὰς μυσαρὰς
γυναῖκας ἀνθρακεύειν.

§. 410.

Tragoediae recentior tantum forma solutionibus usa videtur. Vt in Bacchis: v. supra §. 406. Et in Iphig. Aul. 1036.

τίς ἄρ᾽ ὑμέναιος διὰ λωτοῦ Λίβυος
μετά τε φιλοχόρου κιθάρας.

Eadem aetas tragoediae etiam diiambum choriambo respondere fecit. Soph. Philoct. 1138. et 1161.

μυρί᾽ ἀπ᾽ αἰσχρῶν ἀνατέλ-
λόνθ᾽ ὅσ᾽ ἐφ᾽ ἡ-
μῖν κάκ᾽ ἐμήσατο Ζεύς.
μηκέτι μηδενὸς κρατύ-
νων, ὅσα πέμ-
πει βιόδωρος αἶα.

§. 411.

Trimetri modo attulimus exemplum ex Iphig. in Aul. Tetrametrum catalecticum etiam tragici usurparunt, ut Eurip. Herc. f. 639.

ἁ νεότας μοι φίλον ἄχθος, τὸ δὲ γῆρας αἰεί.

Anacreon in hoc genere secunda in sede diiambum posuit:

ἐκ ποταμοῦ 'πανέρχομαι πάντα φέρουσα λαμπρά.

Si constanter purum, videri potest hic versus ex duobus logaoedicis compositus esse. Tales sunt sedecim versus Eupolidis ap. Athen. VI. p. 236. emendati apud Gaisfordium ad Hephaest. p. 296. Sed vere choriambici sunt apud Aristoph. Lysistr. 319. 320. 327. 341. nisi hi sunt in dimetros dividendi. Et eiusdem apud Hephaestionem:

οἶδα μὲν ἀρχαῖόν τι δρῶν, κοὐχὶ λέληθ' ἐμαυτόν.

§. 412.

Tetrametro acatalecto usus Anacreon, promiscue choriambo diiamboque positis, nisi quod in fine semper diiambum habet, apud Athenaeum XII. p. 533.

πρὶν μὲν ἔχων βερβέριον, καλύμματ' ἐσφηκωμένα,
καὶ ξυλίνους ἀστραγάλους ἐν ὠσί, καὶ ψιλὸν περὶ
πλευρῇσι . . . βοός,
νεόπλυτον εἴλυμα κακῆς ἀσπίδος, ἀρτοπώλισιν
κἠθελοπόρνοισιν ὁμιλέων ὁ πονηρὸς Ἀρτέμων,
κίβδηλον εὑρίσκων βίον,
πολλὰ μὲν ἐν δουρὶ τιθεὶς αὐχένα, πολλὰ δ' ἐν τροχῷ,
πολλὰ δὲ νώτῳ σκυτίνῃ μάστιγι θωμιχθείς, κόμην
πώγωνά τ' ἐκτετιλμένος·
νῦν δ' ἐπιβαίνει σατινέων, χρύσεα φορέων καθέρματα,
παῖς ὁ Κύκης, καὶ σκιαδίσκην ἐλεφαντίνην φορεῖ
γυναιξὶν αὔτως . . .

§. 413.

Rarior choriambici metri usus est apud Romanorum comicos. Inveniuntur tamen nonnulli apud Plautum, quin etiam apud Terentium Adelph. IV. 4, 4. de Bentleii sententia:

mémbra metu débilia
súnt; animus timóre
óbstipuit; péctore nil
sístere consilí quit.

Qui si in tetrametros coniungendi sunt, asynarteti sint necesse est.

§. 414.

Inveniuntur versus choriambici, qui ab anacrusi incipiunt. Aesch. S. ad Th. 330.

ὑπ' ἀνδρὸς Ἀχαιοῦ θεόθεν
περθομέναν ἀτίμως.

Cuius generis videntur esse metra quaedam lyricorum Aeolensium, quae a grammaticis Ionica a maiori habita sunt, ut hoc Sapphus apud Hephaest. p. 37 (64).

εὐμορφοτέρα Μνασιδίκα τᾶς ἀπαλᾶς Γυριννῶς
ἀσαροτέρας οὐδάμ' ἔπ', ὦ Ἔραννα, σέθεν τυχοῖσα.

Sic hoc fragmentum emendandum puto. Eadem ibidem:

δέδυκε μὲν ἁ σελάνα
καὶ Πληϊάδες, μέσαι δὲ
νύκτες, πάρα δ' ἔρχεθ' ὥρα·
ἐγὼ δὲ μόνα καθεύδω.

Quae apud Hephaestionem male binis versibus in unum coniunctis leguntur. Soph. Antig. 606.

τὰν οὔθ' ὕπνος αἱρεῖ πόθ' ὁ παντογήρως.

§. 415.

Frequens est versus ex amphibracho et choriambo compositus. Aesch. Ag. 757.

πομπᾷ Διὸς ξενίου.

Horatius praemisit choriambis dipodiam trochaicam, cuius ultimam syllabam ipse semper longam esse voluit, quam Graecis ancipitem fuisse credibile est: caesuram autem fecit in prima choriambi syllaba:

te deos oro, Sybarin cur properas amando.

Temere hoc metrum reprehendit Atilius Fortunatianus p. 2683. v. Bentl. ad Horat. p. 710.

§. 416.

Vsitatissimi sunt choriambici cum basi, quos metricorum veterum inscitia versibus antispasticis adnumeravit. At si antispastici essent, neque a trochaeo aut pyrrhichio possent incipere, et extremas singulorum antispastorum syllabas haberent ancipites. Errorem animadverterunt Latini grammatici. Vide §. 211.

§. 417.

In basi soli lyrici Aeolenses etiam pyrrhichium admiserunt. Comoedia et recentior tragoedia etiam trisyllabos pedes in basi ponere ausa est, tribrachum, anapaestum, dactylum.

§. 418.

Brevissimus horum versuum unum choriambum habet. Aesch. Suppl. 42.

νῦν ἐν ποιονόμοις.

Ei proximus hypercatalectus, qui Pherecrateus dicitur. Idem S. ad Th. 301. seqq.

τοὶ μὲν γὰρ ποτὶ πύργους.

Tum, qui logaoedicum ordinem habet, Glyconeus.

cui flavam religas comam.

De eo dicetur lib. III. Aliud genus choriambo trochaeum sive spondeum subiectum habet. Aesch. Eum. 1038., nisi hic quoque Glyconeis adnumerandus:

εὐφαμεῖτε δέ, χωρῖται.

§. 419.

Vsitatissimus est dimeter hypercatalectus. Soph. Ai. 628.

οὐδ' οἰκτρᾶς γόον ὄρνιθος ἀηδοῦς.

Trimetro brachycatalecto Sophocles usus in Antig. 951.

ἀλλ' ἁ μοιριδία τις δύνασις δεινά.

§. 420.

Inveniuntur etiam systemata choriambica a basi incipientia. Aesch. Suppl. 61.

δοξάσει τις ἀκούων ὄπα τᾶς
Τηρεΐας
μήτιδος οἰκτρᾶς ἀλόχου.

Sophocles respondentes sibi fecit Molossos in Electra v. 472. 488.

εἰ μὴ 'γὼ παράφρων μάντις ἔφυν καὶ γνώμας.
ἥξει καὶ πολύπους καὶ πολύχειρ ἁ δεινοῖς.

Quod ibidem v. 129. 145. fecit etiam in versibus carentibus basi:

ὦ γενέθλα γενναίων.
νήπιος, ὃς τῶν οἰκτρῶς.

§. 421.

Multas huius metri formas usurparunt lyrici antiquissimae et mediae aetatis. Vt,

κατθνάσκει, Κυθέρη ἄβρος Ἄδωνις· τί κε θεῖμεν;
καττύπτεσθε, κόραι, καὶ κατερείκεσθε χιτῶνας.

Et,

νύμφαις τοῦ Διὸς ἐξ αἰγιόχω φασὶ τετυγμέναις.
Κρονίδα βασιλῆος γένος, Αἶαν, τὸν ἄριστον πέδ' Ἀχιλλέα.

Et,

τὸν στυγνὸν Μελανίππου φόνον αἱ πατροφόνων ἔριθοι.

Et Anacreon:

ἀρθεὶς δ' ηὖτ' ἀπὸ Λευκάδος
πέτρης, ἐς πολιὸν κῦμα κολυμβῶ μεθύων ἔρωτι.

Et apud Sophoclem Philoct. 681.

ἄλλον δ' οὔτιν' ἔγωγ' οἶδα κλύων, οὐδ' ἔςιδον μοίρᾳ.

Et Alcaeus apud Athen. XIV. p. 627. A.

μαρμαίρει δὲ μέγας δόμος
χαλκῷ· πᾶσα δ' Ἄρει κεκόσμηται στέγη.

§. 422.

Choriambicos cum basi multos usurpavit Horatius, constanter in basi spondeum ponens, praeter I. 15, 24. 36.

Teucer et Sthenelus potens.
ignis Iliacas domos,

et in fine cuiusque choriambi, excepto ultimo, caesuram faciens:

Maecenas, atavis edite regibus.
nullam, Vare, sacra vite prius severis arborem.

Bis tantum, sed in voce composita, neglexit caesuram, I. 18, 16. II. 12, 25.

arcanique fides prodiga perlucidior vitro.
dum flagrantia detorquet ad oscula.

Vide Bentl. ad IV. 8, 17. Non haec curavit Alcaeus:

μηδὲν ἄλλο φυτεύσῃς πρότερον δένδρεον ἀμπέλω.

Quem secutus Catullus carm. XXX.

CAP. XXXVI.

De versibus Ionicis a maiori.

§. 423.

In metro **Ionico a maiori** non minus quam in antispastico multa turbarunt metrici, qui aliorum versuum similitudine decepti, quum alia falsa tradiderunt, tum hoc, primam

omnium versuum syllabam, et in quibusdam tetrametris etiam primam syllabam tertiae dipodiae esse ancipitem. Pes Ionicus a maiori ex duobus ordinibus constat, quorum prior arsis nuda, posterior dactylus est. Qui numerus quia valde durus et molestus est, commutare eum cum leniore, sed non minus tamen fracto numero instituerunt, duobus trochaeis, non cohaerentibus uno ordine periodico:

–́ | –́⏑⏑

–́⏒ | –́⏒

Praeterea necessarium erat, ut, si plures Ionici a maiori uno versu coniungerentur, singuli per se constarent, nec perpetuatum haberent numerum, quia sic in choriambos mutati essent:

–́ | –́⏑⏑ | –́ | –́⏑⏑ | –́ | –́⏑⏑

– | –́⏑⏑– | –́⏑⏑– | –́⏑⏑

Eo factum est, ut in singulis Ionicis ultima syllaba anceps esset, quae in choriambicis certam erat mensuram habitura. Solutiones contractionemque omnibus modis admittit hic numerus, et in Ionica quidem forma hoc modo:

–́ | –́ ⏑⏒ (–)
⏑⏑ | ⏑ ⏑

in trochaica autem sic:

–́ ⏒ | –́ ⏒
⏑⏑ | ⏑⏑

quibus descriptionibus formae continentur duaedetriginta. Sed tanta formarum multitudo quoniam nimiam confusionem procreatura fuisset, non omnes admissas videmus. Etsi quousque licentiae progressi sint poetae, in tanta exemplorum paucitate non plane definiri potest.

§. 424.

In versibus, quos Hephaestio affert, praeter Sotadeum, duo tantum sunt, qui vere Ionici a maiori esse videantur, dimeter, qui Cleomacheus vocatur:

> *τίς τὴν ὑδρίην ὑμῶν*
> *ἐψόφησ'; ἐγὼ πίνων,*

et trimeter,

> *πόας τερὲν ἄνθος μαλακὸν ματεῦσαι,*

qui si Ionicus fuit, *ποίας* scribendum.

§. 425.

Nobilissimus versuum Ionicorum a maiori Sotadeus est, solam ille ad recitationem, non ad cantum factus, ut diserte docet Aristides Quintilianus p. 32. Is versus tetrameter est brachycatalectus, ex tribus Ionicis et trochaeo constans. Duo trochaei in qualibet sede, sed plerumque in tertia inveniuntur. Formas eius in pedibus Ionici exempla has praebent:

–́ –́ ⏑⏑	–́ –́ ⏑⏑	–́ –́ ⏑⏑	–́ ⏓
⏑́⏑ –́ ⏑⏑	⏑́⏑ –́ ⏑⏑	⏑́⏑ –́ ⏑⏑	
–́ ⏑́⏑ ⏑⏑	–́ ⏑́⏑ ⏑⏑	–́ ⏑́⏑⏑⏑	
⏑́⏑ ⏑́⏑ ⏑⏑			
⏑́⏑ ⏑́⏑ –́	–́ –́ –		
–́ –́ ⏑–	–́ –́ ⏑–	–́ –́ ⏑–	

In trochaeis autem pro Ionico positis has:

–́ ⏑ –́ ⏑	–́ ⏑ –́ ⏑	–́ ⏑ –́ ⏑	–́ ⏓
⏑́⏑⏑ –́ ⏑		⏑́⏑⏑ –́ ⏑	
–́ – –́ ⏑	–́ – –́ ⏑	–́ – –́ ⏑	
⏑́⏑ – –́ ⏑	–́ ⏑ –́ –	–́ ⏑ –́ –	
⏑́⏑⏑ –́ –			

Observandum, caesuram esse in fine secundae sedis, quae tamen saepissime negligitur. Eaque sedes etiam Molossum sola habet, et ancipitem in fine Ionici saepissime, quae in prima tertiaque sede valde rara est.

§. 426.

Vsitatissima forma versus haec est:

αὐτὸς γὰρ ἐὼν παντογενὴς ὁ πάντα γεννῶν.

Rarius omnes pedes aut Ionici sunt, ut

ἂν χρυσοφορῇς, τοῦτο τύχης ἔστιν ἔπαρμα,

aut trochaei, ut

ὡς πένης θέλων ἔχειν καὶ πλούσιος πλέον σχεῖν.

Solutionum exemplum hoc sit:

ἔνθ' οἱ μὲν ἐπ' ἄκραισι πυραῖς νέκυες ἔκειντο.
γῆς ἐπὶ ξένης, ὀρφανὰ τείχεα προλιπόντες
Ἑλλάδος ἱερῆς, καὶ μυχὸν ἑστίης πατρῴης,
ἥβην τ' ἐρατήν, καὶ καλὸν ἡλίου πρόσωπον.

Quos versus qui afferunt, Dionysius de compos. verb. c. 4. et Hermogenes p. 76. (91. seq. ed. Ald.) non bene perspectam se huius metri naturam habuisse produnt.

§. 427.

Ex Latinis elegantes Ionicos fecit Terentianus Maurus. Vsus his est etiam Plautus, quantum quidem coniici potest, atque, ut videtur, non modo Sotadeo, sed etiam aliis brevioribus. Sotadeos habet in Aul. II. 1, 30. seqq. III. 2. Amph. I. 1, 14. seqq. Hos exempli caussa adscripsi:

nóctésque diésque ássiduó satis supérque est,
quó fácto aut dícto adést opús, quiétus né sis.
ípse dóminus díves óperis ét labóris éxpers,
quódcúmque homini áccidít libére, pósse rétur.
aéquom ésse putát, nón reputát, labóris quíd sit.

Hic etiam in prima sede Molossum posuit, et, quod Graecis non licuit, ultimi trochaei arsin solvit, ut in Aul. II. 1, 30.

héia hóc face, quód iubét sorór. si lúbeat, fáciam.

Praetereaque tenendum, solutiones utrum sint pedis Ionici an trochaeorum, apud Latinos ex accentu vocabulorum cognosci. Graeci comici non videntur usi hoc metro esse, multo minus tragici, aut gravior poesis lyrica.

CAP. XXXVII.

De Ionicis a minori.

§. 428.

Etiam in Ionicis a minori multum a vera ratione aberrarunt grammatici. Qui si hos versus hoc metro esse putant,

μεγάλῳ δ' ηὖτέ μ' ἔρως ἔκοψεν, ὥςτε χαλκεύς,
πελέκει, χειμερίῃ δ' ἔλουσεν ἐν χαράδρῃ,

et,

ζαελεξάμαν ὄναρ Κυπρογενήᾳ,

et,

ἄπο μοι θανεῖν γένοιτ'· οὐ γὰρ ἂν ἄλλη
λύσις ἐκ πόνων γένοιτ' οὐδαμὰ τῶνδε,

et,

παρὰ δ' ηὖτε Πυθόμανδρον κατέδυν ἔρωτα φεύγων,

sunt illi quidem similes Ionicis, sed numeros habent alios, nisi quod primus horum ab initio Ionicus est,

⏑⏑⏑́ | ⏑́ | ⏑⏑⏑́ | ⏑⏑́⏑–⏑–⏑̄

Numerus enim Ionicus a minori inversa ratione, quam alter Ionicus, compositus est ex anapaesto et arsi nuda:

⏑⏑⏑́ | ⏑́

Eodemqne modo, ut in illo, singuli pedes suum sibi numerum habent, neque inter se perpetuantur, quia sic in choriambos abitnri essent:

⏑⏑–́ | –́ | ⏑⏑–́ | –́
⏑⏑–́ | –́ ⏑⏑– | –́

Sed nt in Ionicis a maiori dno trochaei ad variandum numerum adhibentur, ita in Ionicis a minori duo iambi, hoc modo, ut arsis nuda in iambum mutetur, et deinde qui sequitur anapaestus, ipse quoque iambus fiat, quo tempora maneant eadem:

⏑⏑–́ | –́ | ⏑⏑–́ | –́
⏑⏑–́ | ⏒ –́ | ⏑–́ | –́

Haec ratio vocatur *ἀνάκλασις*, versusqne ipsi *ἀνακλώμενοι*, qnia non in uno pede Ionico mutatio nnmeri fit, sed in duobns, alterius fine, alterius initio mutato. Metrici enim sic statuunt, postremum tempus pedi demptum adiici primo seqnentis pedis tempori:

⏑⏑–– | ⏑⏑––
⏑⏑–⏑ | –⏑––

§. 429.

Lvrici Aeolenses maxime ex puris pedibus Ionicis fecisse hos versus videntur; Ionici autem lyrici et anaclasin usurpasse, et in ea primam arsin solvisse; mediam qnamdam rationem tenuisse scenici, ut tragici magis Aeolenses sectarentur, anapaesto saepe his numeris admixto, comici magis seqnerentur Ionicos.

§. 430.

Dimetro catalectico Timocreon integrum carmen condidisse dicitur:

Σικελὸς κομψὸς ἀνὴρ
ποτὶ τὰν ματέρ' ἔφα.

Etiam Sappho, Alcaeus, et Alcman integra Ionica carmina fecerunt. Alcman:

Ἑκατὸν μὲν Διὸς υἱὸν
τάδε Μῶσαι κροκόπεπλοι.

Et Sappho:

τί με Πανδιονὶς ὤ Ἤρανα χελιδών.

Quem versum catalecticum fecit Anacreon:

Διονύσου σαῦλαι Βασσαρίδες.

Tetrametro catalectico usus Phrynichus tragicus:

τό γε μὴν ξείνια δοῦσας, λόγος ὥςπερ λέγεται,
ὀλέσαι, κἀποτεμεῖν ὀξέϊ χαλκῷ κεφαλάν.

Et Phrynichus comicus:

ἃ δ' ἀνάγκα 'σθ' ἱερεῦσιν καθαρεύειν φράσομεν.

§. 431.

Lyrici antiquiores systemata fecerunt Ionica, quos imitatus Horatius III. 12. decem pedes Ionicos una stropha unoque systemate comprehendit:

miserarum est, neque amori dare ludum, neque dulci
mala vino lavere, aut examinari metuentes
patruae verbera linguae.

Eam rationem, Hephaestione teste, praeiverat Alcaeus in illo:

ἐμὲ δειλάν, ἐμὲ πασᾶν κακοτάτων πεδέχοισαν.

De tragicorum et comicorum systematis cap. seq. dicetur.

CAP. XXXVIII.

De versibus Anacreonteis.

§. 432.

Versus Anacreonteos nonnulli, in iisque M. Varro, Ionicos a maiori esse existimarunt, ut refert Terentianus Maurus p. 2447. propterea, quod eodem numero essent, quo finiuntur Sotadei. Carmina, quae hodie Anacreontis nomine circumferuntur, quorum paucissima videntur Anacreontis esse, pleraque multo recentiorum, quaedam etiam plane imperitorum hominum sunt, multam praebuerunt dubitandi materiam. Ac magna pars horum carminum, quae puris iambis constat, his, non Ionicis adnumeranda est. Ea hunc habent numerum:

⏒–́⏑–⏑–́⏒

ϑέλω λέγειν Ἀτρείδας.

Ea autem, quae vere Ionica sunt, dimetri sunt Ionici a minori, anaclasin plerumque habentes:

⏑⏑–́–   ⏑⏑–́–
⏑⏑–́⏒   –́⏑–⏒

§. 433.

Sed quoniam haec forma,

⏑–́⏑–⏑–́⏑

pariter ex Ionico numero deduci potest, atque ex choriambico,

–́⏑⏑–⏑–⏑

quod metrum nonnumquam in farragine ista carminum Anacreonticorum invenitur, cavendum, ne hunc choriambicum putemus cum Ionico commutari posse. Immo quoniam magna pars carminum Anacreonticorum monostrophica est (v. Elem.

d. m. p. 479. seqq.), nunc ex uno genere versus, nunc ex diversis; non est dubitandum, quin choriambicus iste stropharum indicium faciat, et prorsus sit ab Ionicis segregandus. Distinxit strophas in suis Anacreonteorum carminum editionibus Fr. Mehlhornius. Sunt illae plerumque quaternum, in aliis ternum, in aliis quinum versuum.

§. 434.

In illo genere versus Anacreontei, quod iambicum est, imperitiores poetae, ut quidam in collectione Anacreonticorum, et Gregorius Nazianzenus ac Paulus Silentiarius in Brunckii Analectis T. III. p. 94. pro tertio iambo etiam spondeum posuerunt:

βούλει μαθεῖν, ἄνθρωπε,
θερμῶν ἄτεχνον ῥεῦμα.

Prima arsis interdum solvitur. XXVII. 1.

τοῦ Διὸς ὁ παῖς, ὁ Βάκχος.

§. 435.

Ionicum genus, quod a disyllaba anacrusi incipit, usitatum illud etiam tragicis et comicis, in aliquot carminibus Anacreonti adscriptis per puros iambos procedit. Raro anacrusis in unam longam contrahitur: VI. 16.

κῶμον μέτεισι χαίρων.

§. 436.

Nec solutio primae arseos frequens est, ut XLIII. 8.

σὺ δὲ φίλιος εἶ γεωργῶν.

Aut secundae, ut XXXVII. 6.

ἴδε, πῶς γέρανος ὁδεύει.

§. 437.

Ex mediis iambis interdum primus longam anacrusin habet, ut XXXIX. 5.

ἀπορίπτονται μέριμναι·

et saepius apud tragicos et comicos. Apud Soph. El. 1058. corripitur diphthongus in hoc versu:

φρονιμωτάτους οἰωνούς.

§. 438.

Recentissimi Graeci, et quibus iam *α ι υ* ancipites habebantur, strophas ex versibus Anacreonteis condiderunt, in quibus aliquot dimetris Anacreonteis, plerumque sex, qui *οἶκος* vocabantur, subiicerentur pauciores trimetri, duo plerumque, quos appellabant *κουκούλιον*. Vide Scholiastam Hephaestionis p. 87 (171.). Anacreontei has potissimum formas habebant:

⏑⏑–́⏑–́⏑–́⏑

⏑⏑–́–́⏑⏑–́–

trimetri hanc:

⏑⏑–́–́⏑⏑–́–́⏑⏑–́–

–⏑́⏑–́⏑⏑–́–́⏑⏑–́–

Eiusmodi carmen exstat in Anacreonteis LXII., cuius secunda stropha haec est:

Στρατόκλεις, φίλος Κυθήρης,
Στρατόκλεις, ἀνὴρ Μυρίλλης,
ἴδε τὴν φίλην γυναῖκα.
κομάει, τέθηλε, λάμπει·
ῥόδον ἀνθέων ἀνάσσει·
ῥόδον ἐν κόραις Μυρίλλα.
ἥλιος τὰ σέθεν δέμνια φαίνοι·
κυπάριττος πεφύκοι σεῦ ἐνὶ κήπῳ.

Trimetro isto Synesius hymnum sextum scripsit, his formis usus:

⏑⏑–́ | –́ | ⏑⏑–́ | –́ | ⏑⏑–́ –
| ⏑–́ | ⏑–́ | ⏑–́ | ⏑–́ –

Scriptor carminis amatorii, quod I. A. Cramerus in Anecdotis Parisiensibus vol. IV. p. 380. dehinc autem Th. Bergkius in Poetis lyricis p. 739. edidit, si scripsit v. 23.

παῖδα ὀϊστοβόλον Ἀφρογενείης
εὐγενέων λογάδων φεύγετε παῖδες,

videri potest, quoniam constanter istam caesuram observavit, hanc metri formam secutus esse:

⏑⏑ –́ – ⏑⏑–́ | –́⏑⏑ – –
– –́⏑⏑ – ⏑⏑–́ |

Non est id tamen veri simile, sed est ille hac forma usus:

⏑⏑ –́ – ⏑⏑–́ – ⏑⏑–́ –
– ⏑⏑ –

Posui totum carmen poetae nec prosodiae imperiti, nec fluviatiles Nereides commenti, quoniam singulari artificio elaboratum est. Continet tria systemata *κατὰ περικοπὴν ἀνομοιομερῆ*, quorum prior pars duas quaternum dimetrorum strophas et cuculium duum trimetrorum, altera tres quaternum dimetrorum strophas et item duum trimetrorum cuculium habet. His accedit quasi pro epodo aliud ex tribus partibus systema, cuius prima et tertia pars eaedem sunt, quae in praecedentibus systematis, quae autem inter has media est secunda pars una tantum stropha et cuculio absolvitur: id factum est eo, quod interlocutor est introductus v. 89—96.

Ποταμοῦ μέσον κατεῖδον
ποτὲ τὸν γόνον Κυθήρης.
ἐνενήχετο προπαίζων
μετὰ Νηΐδων χορείης·

ποταμὸς δὲ χρυσοδίνης
ἐβόα, τί πυρπολεῖς με;
τί με, παιδίον, φλογίζεις;
ἀπ' ἐμῶν ἄπελθε ῥείθρων.
πλοκάμους χρυσοχύτους θαῦμα ἰδέσθαι
ὁ Ἔρως τῆς Παφίης εἶχε καρήνῳ.
ὃν ἰδὼν ἐγὼ τότ' ἔσχον
ἐπιθυμίαν κρατῆσαι,
κραταιραῖς πέδαις τε δῆσαι
θαλεροῖς νέοις τε δεῖξαι.
ὃ δὲ νόσφι τῶν ῥεέθρων
ὑπέφευγε προσγελῶν μοι,
ποτὲ μὲν ποσὶ προβαίνων
ποτὲ δὲ πτεροῖς ἀλύσκων.
πικρὸς ἦν ὑπόπτερός τε
πολυποίκιλός τε μύθῳ,
πολυδαίδαλος τὸ εἶδος,
πολυήρατος τὸ κάλλος.
παῖδα ὀϊστοβόλον φεύγετε, κοῦροι
εὐγενέων λογάδων, Ἀφρογενείης.
γυμνὸς ἦν ἀνάρβυλός τε,
πυρὶ δ' εἴκελος τὰ πάντα·
ἀπὸ δ' ὀμμάτων βολάων
φλογερὴν ἔπεμπεν αἴγλην.
ἐρατὴν φέρων φαρέτρην
πεπυρωμένων βελέμνων,
ἐπίχρυσον εἶχε τόξον
κεχαλασμένον κατ' ὤμων.
μικρὸν ἔχει τὸ βέλος, μακρὰ δὲ βάλλει,
ὃν δὲ βάλῃ, πυρόεις οἶστρος ἐλαύνει.
γλυκερὴν ὄπα προῆκεν
διὰ τὸν πόθον λαλῶν μοι,
λιγυρὸν μέλος λυρίζων,
καθάπερ Πρόκνη κατ' ἄλσος.
παλάμην ἄγαν βραχεῖαν
ἐπεμειδία κραδαίνων.

ἐπεδείκνυεν δὲ ταύτην
προφανῶς τὸ πῦρ ἀφάσσων.
ἀναγαλλίδας παρῆλθεν,
ἴα καὶ κρόκους παρέπτη.
Ζεφύρου πνοὰς γὰρ εἶχεν
κατοπισθίους λιγείας.
τὸ βρέφος τῆς Παφίης φεύγετε, κοῖροι.
ἀφανῶς τόξα πόθων ἀγκύλα τείνει.
καθάπερ ταώς τις ὄρνις
ὁ κατάστερος πτεροῖσιν,
ὑπερίπτατο πλανῶν με,
λιβάδων ὕπερθε παίζων.
ἔκαμνον τρέχων ἐλαύνων,
ἀπεπαυσάμην διώκων·
ὃ δὲ τοῖς ῥόδοις με βάλλων
ὑπέθελγέ πως πρὸς οἶστρον.
πόσα ἄνθη ἔδραμον καὶ ῥοδεῶνας,
ὀπίσω παιδαρίου πολλὰ διώκων.
\- - - - - - -
\- - - - - - - -
μανίης πέφυκε δεῖγμα,
νεότητός ἐστι πῆμα
\- - - - - -
\- - - - πέφυκε πᾶσα
ἀκατάσχετός τε τόλμα,
ἀτελῶν πόνων ἐρῶσα.
καλύκων συνῆγεν ἄνθη,
ἃ παρέσχε μοι πονεῖν με.
πλατάνοισι γὰρ προβαίνων
στεφάνους πλέκων μεθῆκεν.
δροσερὰς εἰς λιβάδας πολλὰ διώξας
τὸν Ἔρωτα βροχίσαι οὐκ ἐδυνήθην.
ὑποδὺς δ' ἔνερθε λόχμης
σκιεροῖς ἔπαιζε δένδροις.
πύματον βέλος δὲ πέμψας
βάλεν ἠπάτων τὰ κοῖλα.

συνομηλίκων χορεία,
συναρήξατε προθύμως·
κατακαίομαι, κλονοῦμαι
ἀφανῶς τε πυρπολοῦμαι.
ἀνθοκόμους λιβάδας πεζοπορήσας
παῖδα πανοῦργον ἑλεῖν οὐκ ἐδυνήθην.
δότε μοι λόγον τί ῥέξω,
τί πάθω, τί δ' αὖ προσοίσω,
τί δὲ φάρμακόν ποθ' εὕρω
κραδίην ἐμὴν δροσίζον.
φάρμακον ἐξ Ἑλένης εἴ τις ἐφεύροι
ἡμετέραις φιάλαις ἐγκαταμῖξαι.
„ἄκος εἰς ἔρωτ' ἀκούω
ἀποδημίαν γενέσθαι.
σὺ μένειν θέλων δὲ μᾶλλον
ἕτερον τρόπον μετέρχου.
ἀΰπνους ἴανε νύκτας
μετ' Ἀχιλλέως ἑταίρων,
σὺν ἀηδόσιν λιγείαις
μελιηδέα προςᾴδων.“
ἐδάην πόθου τὸ φίλτρον,
ὁδὸν οὐδαμῶς δ' ἐπέγνων.
δότε μοι συνοιμοδίτην
τὸν Ἔρωτα συλλαλοῦντα.
τῆς Παφίης τὸ βρέφος φεύγετε, κοῦροι·
λαμπάδα καιομένην χειρὶ κομίζει.

§. 439.

Tragici saepe systemata ex versibus Ionicis a minori fecerunt, anaclasi in fine tantum vel totius strophae, vel partis adhibita. Et in anaclasi nunc puros servant iambos, nunc in priore anacrusin faciunt longam. Omnium luculentissimum exemplum exstat in Aeschyli Suppl. v. 1025. e quo satis sit primam stropham attulisse:

ἴτε μὰν, ἀστυάνακτας
μάκαρας θεοὺς γανάεντες,

πολιούχους τε καὶ οἳ χεῦμ'
'Ερασίνου
περιναίονται παλαιόν.
ὑποδέξασθε δ', ὀπαδοί,
μέλος· αἶνος δὲ πόλιν τήν-
δε Πελασγῶν ἐχέτω, μηδ'
ἔτι Νείλου
προχοὰς σέβωμεν ὕμνοις.

§. 440.

Sed praeter hos etiam illo genere utuntur, in quo regnat anaclasis, admixtis interdum aliorum versuum formis, ut hoc Anacreonteo,

◡◡́◡–– | ◡◡◡́◡◡́◡◡́–

οὐδ' αὖ μ' ἐάσεις μεθύοντ' οἴκαδ' ἀπελθεῖν.

V. Schol. Aesch. ad Prom. 128. Sophocles El. 1058.

τί τοὺς ἄνωθεν φρονιμωτάτους οἰωνοὺς
ἐςορώμενοι τροπᾶς κη-
δομένους ἀφ' ὧν τε βλάστω-
σιν, ἀφ' ὧν τ' ὄνασιν εὕρω-
σι, τάδ' οὐκ ἐπ' ἴσας τελοῦμεν;

Eurip. Bacch. 530.

σὺ δέ μ', ὦ μάκαιρα Δίρκα,
στεφανηφόρους ἀπωθεῖ
θιάσους ἔχουσαν ἐν σοί.
τί μ' ἀναίνει; τί με φεύγεις;
ἔτι, ναὶ τὰν βοτρυώδη
Διονύσου χάριν οἴνας,
ἔτι σοι τοῦ Βρομίου μελήσει.

Et in Cyclope v. 493.

μάκαρ, ὅςτις εὐϊάζει
βοτρύων φίλαισι πηγαῖς,
ἐπὶ κῶμον ἐκπετασθείς,

φίλον ἄνδρ' ὑπαγκαλίζων,
ἐπὶ δεμνίοις τ' ἄκανθαν
χλιδανῆς ἔχων ἑταίρας
μυρόχριστος λιπαρὸν βό-
στρυχον· αὐδᾷ δέ, θύραν τίς οἴξει μοι.

§. 441.

Tertium genus, quo scenici poetae utuntur, insigne est admixto anapaesto, non modo ut eo finiatur numerus, sed etiam in medio. Exempla vide in Aeschyli Persis v. 66—80. Ita Eurip. Bacch. 64.

Ἀσίας ἀπὸ γαίας ἱερὸν Τμῶ-
λον ἀμείψασα θοάζω
Βρομίῳ πόνον ἡδύν, κάματόν τ' εὐ-
κάματον, Βάκχιον ἀζομένα θεόν.

Vbi *θεὸν* una syllaba est. Hoc metri genere praeclare usus Klopstockius:

wenn der schimmer von dem monde nun herab.

§. 442.

Solutiones contractionesque recentioris tragoediae propriae videntur. Eurip. Bacch. 78.

τά τε ματρὸς μεγάλας ὄρ-
για Κυβέλης θεμιτεύων,
ἄνα θύρσον τε τινάσσων,
κάτα κισσῷ στεφανωθείς.

Idem in carmine, quod in eadem fabula est a v. 370. non ubique pedes pedibus exaequavit, sed ipsam anaclasin in antistropha opposuit versui non *ἀνακλωμένῳ*.

§. 443.

Eadem prorsus comicorum licentia. Apud Aristophanem duobus potissimum in locis Ionici a minore, partim Ana-

creontei, partim longiores vel breviores, admixtis etiam aliis metris, inveniuntur, in Ranis a v. 323. et in Vespis a v. 273. de quo carmine dixi in dissertatione de choro Vesparum.

CAP. XXXIX.

De versu Galliambico.

§. 444.

Versus Galliambicus ex duobus Anacreonteis compositus est, quorum posterior catalecticus est, hac forma.

```
–
⏑⏑–́ | –́ | ⏑⏑–́ – ‖ ⏑⏑–́ | –́ | ⏑⏑–́
                                  ⏑
–
⏑⏑–́ | ⏒–́ | ⏑–́ – ‖ ⏑⏑–́ | ⏒–́ | ⏑–́
      ⏑⏑                  ⏑⏑   ⏑
```

Γαλλαί, μητρὸς ὀρείης φιλόθυρσοι δρομάδες,
αἷς ἔντεα παταγεῖται καὶ χάλκεα κρόταλα.

Diogenes Laertius VIII. in fine:

ἐν Μέμφει λόγος ἐστὶ προμαθεῖν τὴν ἰδίην
Εὔδοξόν ποτε μοῖραν παρὰ τοῦ καλλικέρω
ταύρου, κοὐδὲν ἔλεξεν· βοῒ γὰρ πόθεν λόγος;
φύσις οὐκ ἔδωκε μόσχῳ λάλον Ἄπιδι στόμα.
παρὰ δ' αὐτὸν λέχριος στὰς ἐλιχμήσατο στολήν,
προφανῶς τοῦτο διδάσκων, ἀποδύσῃ βιοτὴν
ὅσον οὔπω. διὸ καί οἱ ταχέως ἦλθε μόρος,
δεκάκις πέντ' ἐπὶ τρισσαῖς ἐσιδόντι πλειάδας.

Caesura, quae est in fine prioris partis, hic ubique diligenter servata. Sic etiam apud Catullum carm. LXIII. qui plerum-

que anaclasi usus est, et in posteriore parte cum anaclasi coniunxit solutionem secundae arseos:

super álta véctus 'Atys celerí raté mariá,
Phrygium út nemús citáto cupidé pedé tetigít,
adiítque opáca sílvis redimíta lóca deaé.

In priore semel tantum purum Ionicum posuit v. **54.**

et eórum ómnia adírem furibúnda látibulá.

Magis Graecos secutus videtur Varro in satiris:

CAP. XL.

De versibus paeonicis.

§. 445.

Vltimum genus numerorum simplicium sunt **paeonici**, quos metrici veteres, sola tempora numerantes cum Creticis et Bacchiacis commiscuerunt. Constat numerus paeonicus ex ordinibus arsin duorum, ut metricis placet, temporum, thesin autem trium brevium syllabarum habentibus: ex quo apparet, ut arsis solvi possit, at in thesi contractionem nullam, nisi perdito numero paeonico, posse admitti. Ego quidem credo arsin paeonici numeri tria tempora habere: de qua re exposui §. 198. Continuantur autem plures paeones uno ordine, pariter ut trochaei et dactyli. Ac genera quoque numeri paeonici eadem comparatione sunt quinque:

	–́ ⏑⏑⏑ – ⏑⏑⏑	primi paeones.
⏑⏑⏑	–́ ⏑⏑⏑ –	quarti paeones.
	–́ ⏑⏑⏑ –	strophi.
⏑⏑⏑	–́ –	dasii.
–́	–́ ⏑⏑⏑	symplecti.

Sed quum omnino rarior usus est numeri paeonici, tum strophi, dasii, symplecti si quando inveniuntur, non certas et stabiles formas habent. Praeterea ut in dactylicis numeris sunt, qui iambicam anacrusin habeant, ita etiam paeonici alii cum iambica, alii cum anapaestica anacrusi facti sunt. Catalexis fit in trisyllabum, in disyllabum, in syllabam. Atque hoc quoque in genere versuum singuli pedes metra a grammaticis vocantur.

§. 446.

Vsitatissimum genus primi paeones sunt, minus illi tragicis quam comicis usurpati, apud quos tetrameter maxime catalecticus in trisyllabum invenitur, qui ex duobus ordinibus constat, caesuram habens in fine secundi pedis, quae tamen interdum negligitur. Vltimus pes dactylus est, sed propter ancipitem saepe Creticus.

ὦ πόλι φίλη Κέκροπος αὐτοφυὲς Ἀττική,
χαῖρε, λιπαρὸν δάπεδον, οὖθαρ ἀγαθῆς χθονός.

Vide Aristoph. Vesp. 1275. seqq.

§. 447.

Quod Hephaestio dicit, Aristophanem in Georgis etiam quarto paeone pro primo usum esse,

ἐν ἀγορᾷ δ' αὖ πλάτανον εὖ διαφυτεύσομεν,

in secundis Thesmophoriazusis autem saepe etiam pedem Creticum mediis versibus inseruisse, argumento est, versus illos non paeonicos fuisse, sed Creticos. Quamquam, ut supra dictum §. 199. ne ipsi quidem veteres Graeci ex omni parte distinxisse numerum Creticum et paeonicum videntur.

§. 448.

Pentametro catalectico in trisyllabum usus est Theopompus in *Παισίν*:

πάντ' ἀγαθὰ δὴ γέγονεν ἀνδράσιν ἐμῆς ἀπὸ συνουσίας.

Hic quoque videtur caesuram in secundi pedis fine habuisse.

§. 449.

Quemadmodum contractiones, ut supra dictum non admittit hoc metrum per numeri leges, ita solutiones arseos neque usurpatae sunt, nec potuerunt usurpari, si recte statuimus arses tria tempora habere. Elegantissimi versus sunt in Aristophanis Avibus 349.

οὔτε γὰρ ὄρος σκιερὸν οὔτε νέφος οὐράνιον
οὔτε πολιὸν πέλαγός ἐστιν, ὅ τι δέξεται
τώδ' ἀποφυγόντε με.

Quibus qui in stropha v. 333. respondere debent, recepta scholiastae impeditiorem verborum compositionem expedientis explicatione turpissimis solutionibus foedati, sic videntur corrigendi esse:

ἔς τε δόλον ὅς μ' ἐκάλεσέν παρέβαλέν τέ με παρ'
ἐξότ' ἐγένοντο γένος οὐχ ὅσιον ἀμφ' ἐμοὶ
καὶ πολέμιον τραφέν.

§. 450.

Paeonici catalectici in disyllabum, item anacrusin iambicam habentes, raro inveniuntur. Exempla nonnulla habet Aristoph. in Lysistr. in carmine, quod est a v. 781.

αὐτὸς ἔτι παῖς ὤν..
φεύγων γάμον ἀφίκετ' ἐς ἐρημίαν,
κἀν τοῖς ὄρεσιν ᾤκει,
κᾆτ' ἐλαγοθήρα,
πλεξάμενος ἄρκυς,
καὶ κύνα τίν' εἶχεν,
κοὐκέτι κατῆλθε πάλιν οἴκαδ' ὑπὸ μίσους.

CAP. XLI.

De quartis paeonibus.

§. 451.

Quarti paeones, vehemens et concitatum genus numeri, tragicis potissimum usitati sunt. Atque etsi interdum Cretici potius hi versus videntur, soluta prima arsi (v. §. 262.), tamen quibusdam in locis, ubi puri servati sunt paeones, argumentum quoque carminis suadet, ut paeonicum numerum usurpatum credamus. Vt in Aesch. Eumen. 329. 342.

ἐπὶ δὲ τῷ τεθυμένῳ
τόδε μέλος, παρακοπά,
παραφορὰ φρενοδαλής·

ubi ultimus versus quasi logaoedica quadam ratione terminatur,

◡◡◡◡́◡◡‒‒

Sic etiam in Choeph. 804.

τὸ δὲ καλῶς κτάμενον, ὦ μέγα ναίων,
στόμιον, εὖ δὸς ἀνέδην δόμον ἀνδρός.

Similibus numeris usus Klopstockius:

◡◡◡◡́◡◡‒◡‒
◡◡◡́‒ | ◡◡◡́‒ | ◡◡́‒
◡◡◡◡́◡◡‒ | ◡◡◡◡́◡◡◡‒‒

von dem gebirg in das thal herab,
da zu dem angriff bey dem waldstrom das kriegslied
zu der vertilgenden schlacht und dem siege den befehl rief.

§. 452.

Tetrametrum acatalectum memorat Rufinus p. 2711.

παρὰ σοφοῦ μάθε κλύων ὅσα τις ἂν καταμάθοι,

quod fictum a metrico quopiam videtur. Poetae nescio cuius versum hoc metro affert Aristoteles Rhet. III. 8.

μετὰ δὲ γᾶν ὕδατά τ' ὠκεανὸν ἠφάνισε νύξ.

CAP. XLII.

De parapaeonicis aliisque longioribus numeris.

§. 453.

Longiores paeonibus numeros si non memorant metrici, nihil mirum, ut qui omnes numeros usitatioribus illis generibus, de quibus explicatum est, comprehendere soleant, dipodiis ubique constitutis. Sed etsi certae ac stabiles parapaeonicorum aliorumque longiorum ordinum formae non possunt ita proferri, ut extorqueatur assensio dubitantibus, tamen neque ratio idonea apparet, quare huiusmodi numeros non esse usurpatos statuamus, et par est usurpatos credi, dummodo apti argumento essent. Vt in Aristophanis Tagenistis apud Athenaeum III. p. 96. C. ubi hoc metrum invenitur:

⏑⏑⏑⏑–́–⏑⏑⏑⏑–́–⏑⏑⏑⏑–́–

ἅλις ἀφύης μοι. παρατέταμαι γὰρ τὰ λιπαρὰ κάπτων.

Sequuntur ibi Cretici. Apud Pindarum Pyth. II.

μεγαλοπόλιες ὦ Συράκοσαι, βαθυπολέμου
τέμενος Ἄρεος, ἀνδρῶν,

non intelligitur, cur sic potius metiendi sint numeri,

⏑ –́ –́ ⏑–⏑–⏑–⏑ – ⏑–
 ⏑⏑⏑⏑ ⏑⏑

 –́ ⏑–⏑⏑––
⏑⏑

quam, qui multo alacriores et vehementiores sunt,

⏑⏑⏑⏑⏑⏑–́⏑–⏑–́⏑⏑⏑⏑–

⏑⏑⏑–́⏑⏑––

Et paullo post:

εὐάρματος Ἱέρων ἐν ᾇ κρατέων
τηλαυγέσιν ἀνέδησεν Ὀρτυγίαν στεφάνοις,
ποταμίας ἕδος Ἀρτέμιδος, ᾶς οὐκ ἄτερ.

Quos ita describentem,

–́–⏑ –́ ⏑–⏑–́⏑⏑–
 ⏑⏑

–́–⏑ –́ ⏑–⏑–⏑⏑–⏑⏑–
 ⏑⏑

 –́ ⏑–́⏑⏑– –́ ⏑––́⏑–
⏑⏑ ⏑⏑

ut non possit aliquis aperte refutare, at multo tamen aptius, opinor, ita describet:

–́–⏑⏑⏑⏑–⏑–́⏑⏑–

–́–⏑⏑⏑⏑–⏑–⏑⏑–́⏑⏑–

⏑⏑⏑–́⏑⏑–́⏑⏑⏑––́⏑–

Nam qui in paeonico genere constitisse Graecos contendat, eodem iure contendere poterit, in dactylico eos debuisse consistere, in quo Romani constiterunt. Et quidni Graeci in tanta linguae suae volubilitate fecerint, quod vel in Germanica conatus est Klopstockius nostras, non modo paeonibus ille saepe usus, sed etiam hoc parapaeonico numero:

⏑–́⏑⏑⏑⏑–⏑⏑–⏑–⏑–

dich singe der dithyrambe, der keine kriege sang.

LIBER III.

De metris mixtis et compositis.

CAP. I.

De generibus metrorum mixtorum et compositorum.

§. 454.

Hephaestio, explicatis simplicibus metris, deinceps metra *κατ' ἀντιπάθειαν μικτά*, et versus asynartetos, et polyschematistos, et stropharum comparationes exponit. Ex his metra *κατ' ἀντιπάθειαν μικτὰ* nos plane praeterimus. Nam quae sic vocantur metra, quia contrarios pedes, ut trochaeos atque iambos, contineant, partim ne habent quidem pedes contrarios, partim, si habent, nihil in ea re est, quod peculiare genus numeri constitui postulet. Ita Sapphicus hendecasyllabus, quem metrici, dipodiis uti amantes, sic dividunt:

´⏑–⏒ | ´⏑⏑– | ⏑´⏒

ποικιλόθρον' ἀθάνατ' Ἀφροδίτα,

non habet iambos, quia ex dipodia trochaica ex ordine logaoedico constat,

´⏑–⏒ | ´⏑⏑–⏑–⏒

Hic vero versus,

ἰόπλοκ' ἀγνὰ μειλιχόμειδε Σαπφοῖ,

quem sic dividunt illi,

⏑⏒⏑– | ⏒⏒⏑⏑ | ⏒⏑–⏑

continet quidem oppositos pedes, iambos et trochaeos, ita nempe metiendus,

⏑⏒⏑–– | ⏒⏑⏑–⏑–⏓

sed compositionis ratione nihil differt a quovis alio metro, quod ex diversis membris eosdem pedes habentibus factum sit. Ex quo apparet, inutile commentum esse *μίξεις* illas *κατ' ἀντιπάθειαν*, ubi ordinibus suis versus metiare, non arbitrario inveuto dipodiarum. At etiam versuum asynartetorum et polyschematistorum appellationes aliis definitionibus indigent, quam quae a metricis allatae sunt.

§. 455.

Nos metra ea, quae non sunt simplicia, dividimus in versus mixtos et compositos. Mixti sunt qui ex diversis numeris in unum confusis constant; compositi, in quibus plures numeri ita sunt copulati, ut seorsim alter alterum sequatur.

§. 456.

Mixtio duplex est. Nam aut plures numeri vices suas commutant, ut alter pro altero ponatur: quorum etsi quisque per se simplex est, tamen qui ex ambobus conflatur numerus, quia neque hic, neque ille, sed commutabilis quidam, utrumque in se comprehendens, est, non potest nec simplicibus, neque compositis adnumerari. Hi sunt polyschematisti. Altera mixtionis ratio est, quum diversi numeri uno ordine cohaerent, quos, si fortior debiliorem praecedit, imminutos, si debilior fortiorem, concretos vocamus. Vide §§. 20. 21.

§. 457.

Duplex est etiam compositio. Fit enim aut per cohaerentiam, quam συνάφειαν Graeci dicunt, quae in commissura duarum partium nihil fieri patitur, quod perpetuitatem orationis interrumpat; aut sine vinculo, qui sunt asynarteti, in quibus et perpetuari oratio et interrumpi potest.

§. 458.

Apertum est, multa eorum metrorum, de quibus in secundo libro dictum est, ad mixta et composita referri debere. Nam quum de metris simplicibus diceretur, quae ex uno genere numeri constant, fieri non poterat, quin simul nonnullae etiam illarum formarum commemorarentur, in quibus aliqua mixtio vel compositio inveniretur. Ita choriambici et Ionici, quia commutabiles sunt cum aliis numeris, re vera polyschematisti sunt. Logaoedici autem imminuti. Tum aliquot etiam asynartetos notavimus. Superest ut dicatur de concretis, de polyschematistis iis, quos incertum est, ex quo genere simplicium orti sint, et de compositis, sive per cohaerentiam, sive sine vinculo factis, qui vel ex diversis sint numeris compositi, vel, si ex iisdem, tamen ordinum diversitate faciant, ut non possint pro simplicibus unoque numero decurrentibus haberi.

CAP. II.

De versibus Glyconeis.

§. 459.

Versuum polyschematistorum, si ab Ionicis et choriambicis discesseris, de quibus lib. II. dictum, re vera unum tantum superest genus, Glyconei. Nam qui praeter hos

polyschematisti inveniuntur, ex his compositi sunt. De hoc metro scripserunt C. E. Geppertus et Selckmannus, quorum de dissertationibus editis Berolini a. 1834. et ego dixi in Iahnii Annalibus a. 1834. fasc. 3. et 10. et H. Weissenborn in diurnis Darmstadiensibus a. 1836. n. 30—32. Et hic quidem ipse libri de versibus Glyconeis particulam primam Lipsiae a. 1840. alteram 1841. edidit. Metrici Glyconeos ad antispastos referunt, quod falsum esse ex eo apparet, quod etiam a trochaeo incipiunt. Vnde a basi initium fieri apertum est. Quin contractio brevium in Pherecrateo apud Catullum LXI. 25.

nutriunt humore,

etiam syllaba breviorem redditura esset versum, quam sinit lex metri antispastici. Seneca in Oedipo etiam Glyconei dactylum in spondeum convertit eo in carmine, quod est a v. 882. ut

vela ne pressae gravi
spiritu antennae gemant.

Prima enim eaque maxime simplex et elegans Glyconeorum forma haec est:

∴́ ∴́ | ⏗⏑⏑–⏑–

Quod genus versuum plerumque systemata facit, quae versu catalectico, qui Pherecrateus dicitur, finiri solent:

∴́ ∴́ | ⏗⏑⏑–⏓

Eurip. Androm. 502.

ἅδ' ἐγὼ χέρας αἱματη-
ρὰς βρόχοισι κεκλειμένα
πέμπομαι κατὰ γαίας.

§. 460.

Qui polyschematistum hoc metrum fecerunt, primo logaoedicum ordinem in choriambum et iambum mutarunt, quo penultima syllaba anceps facta est:

∴́ ∴́ | ⏗⏑⏑– | ⏓⏗

Eurip. Hippol. 741.

τὰς ἠλεκτροφαεῖς αὐγάς.

Haec anceps propria, nisi fallor, scenicorum poetarum est. Et quum haec forma, etsi valde diversa a dochmiaco metro, tamen, basi excepta, iisdem syllabis constet, quibus dochmiaci, ubi in iis longa est prima anacrusis, soluta autem prima arsis:

⏓ ⏒́ | ⏒́ | ⏓⏒́
   ⏑⏑

rhythmici duo genera dochmiacorum constituerunt, quorum metrici alterum eodem nomine, alterum Glyconeum vocarunt. Vid. Aristid. Quintil. p. 39.

§. 461.

Ordine logaoedico in choriambum et iambum diviso variari numerum placuit per transpositionem, ita ut iambus iste ante choriambum collocatus in trochaeum mutaretur, quia basin arsis sequi debet:

∴́ ∴́ | ⏒́⏓ | ⏒́⏑⏑–

καὶ πεντήκονθ᾽ οὐψιβίας.

Philyllius in Auga apud Athenaeum XI. p. 485. B. apud Meinekium II. 2. p. 858.

πάντα γὰρ ἦν
μέστ᾽ ἀνδρῶν καὶ μειρακίων,
πινόντων, ὁμοῦ δὲ λάλων
γρᾳδίων μεγάλαισιν οἴ-
νου χαίροντα λεπασταῖς.

Sic haec scribenda.

§. 462.

Denique rursus alia facta est transpositio, sed raro, et, ut videtur, non nisi in compositis quibusdam formis, cho-

riambo principium occupante, basi autem trochaeoque in dipodiam iambicam mutatis:

–́ ⏑ ⏑ – | ⏓ –́ ⏑ –

quae forma est versus choriambici dimetri.

§. 463.

Versus Pherecrateus, in quo nullus post choriambum iambus est, qui transponi possit, non nisi duas formas admittit:

∴ ∴ | –́ ⏑ ⏑ – ⏑

et,

–́ ⏑ ⏑ – | ⏑ –́ ⏑

Quarum posterior rara est, et fere tantum in compositis quibusdam versibus usitata.

§. 464.

Dicatur primo de permutatione formarum. Atque primitiva Glyconeorum forma, quae iambo finitur, apud scenicos, certe in recentiore tragoedia, etiam spondeum in fine recipit, ita ut spondeus iambo in antistrophicis respondere possit:

∴ ∴ | –́ ⏑ ⏑ – | ⏓ –́

Euripides Hippol. 741. 751.

τὰς ἠλεκτροφαεῖς αὐγάς.
χθὼν εὐδαιμονίαν θεοῖς,

si sana est antistrophici versus scriptura. Quod apud Sophoclem legitur Philoct. 1128. 1151.

ὦ τόξον φίλον, ὦ φίλων,
τὰν πρόσθεν βελέων ἀλκάν,

facile corrigi potest *ἀλκὰν* in *ἀκμὰν* mutato. Plerumque enim iambo iambus, spondeo spondeus respondet. Omninoque etiam in hoc genere versuum aliquanto diligentius, quum olim putabatur, responsiones elaboratas esse deprehendimus.

§. 465.

Deinde huic, de qua modo dictum, formae,

∴ ∴ | –́⏑⏑– | ⏓–́

etiam illa, quae choriambum in fine habet, respondet, nec solum apud scenicos, sed etiam in leviore poesi lyrica, ut apud Corinnam.

∴ ∴ | –́⏓ | –́⏑⏑–

Soph. Philoct. 1124. 1147.

πόντου θινὸς ἐφήμενος.
ἔθνη θηρῶν, οὓς ὅδ' ἔχει.

Eurip. Iph. T. 1097. 1114.

ποθοῦσ' Ἄρτεμιν λοχίαν.
θεᾶς ἀμφίπολον κόραν.

§. 466.

Haec forma

–́⏑⏑– | ⏓–́⏑–

apud scenicos in ipsis Glyconeis, si recte observavi, semper sibimet ipsi tantum respondet, neque aut cum hac,

∴ ∴ | –́⏑⏑– | ⏓–́

aut cum illa,

∴ .. | –́⏓ | –́⏑⏑–

commutata invenitur. Sed in versu Priapeo, ut videtur, hae tres formae omnes inter se commutantur: fortasse etiam apud Corinnam. Alteram dimetri choriambici formam,

⏓–́⏑– | –́⏑⏑–

nusquam vidi in formis Glyconeorum.

§. 467.

In Pherecrateo autem versu, si ex paucis exemplis coniecturam facere licet, usitatiori formae

∴ ∴ | –́⏑⏑–⏓

etiam altera videri potest respondere

–́⏑⏑–⏑–⏓

At non puto hoc ullo quod certum sit exemplo confirmari posse. Quod in Sophoclis Antigona v. 607. leviter mutatum huc tractum erat, *οὔτ' ἀκάματοι θεῶν μῆνες*, multis est coniecturis tentatum, ex quibus quod olim conieci:

οὔτε θεῶν ἄκμητοι

omnium est facillimum, eoque probabilius, quod Hesychius *ἀκμητεί* interpretatur *ἀκαματεί.* Respondet v. 618.

εἰδότι δ' οὐδὲν ἕρπει.

In Euripidis Medea 157. 182.

Ζεύς σοι τάδε συνδικήσει. μὴ λίαν.
σπεῦσον δέ τι πρὶν κακῶσαι τοὺς ἔσω,

iam olim scribendum esse monui.

§. 468.

Nunc de singulis partibus Glyconeorum et Pherecrateorum explicabo. A basi exclusus pyrrhichius apud scenicos et in graviore poesi lyrica. Neque omnino eum pedem usquam repperi. Reliqui pedes disyllabi apud scenicos promiscue usurpantur, ut quivis cuivis respondeat. Tribrachum recentior maxime tragoedia frequentavit. Eurip. Phoen. 210. Sed totam stropham atque antistropham afferri praestat:

Τύριον οἶδμα λιποῦσ' ἔβαν στρ.
ἀκροθίνια Λοξίᾳ
Φοινίσσας ἀπὸ νάσου
Φοίβῳ δούλα μελάθρων,
ἵν' ὑπὸ δειράσι νιφοβόλοις
Παρνασσοῦ κατενάσθην
Ἰόνιον κατὰ πόντον ἐλά-
τᾳ πλεύσασα περιῤῥύτων
ὑπὲρ ἀκαρπίστων πεδίων

Σικελίας Ζεφύρου πνοαῖς
ἱππεύσαντος ἐν οὐρανῷ
κάλλιστον κελάδημα,
πόλεος ἐκπροκριθεῖσ' ἐμᾶς ἀντ.
καλλιστεύματα Λοξίᾳ·
Καδμείων δ' ἔμολον γᾶν,
κλεινῶν Ἀγηνοριδᾶν
ὁμογενεῖς ἐπὶ Λαΐου
πεμφθεῖσ' ἐνθάδε πύργους,
ἵνα τ' ἀγάλμασι χρυσεοτύ-
κοις Φοίβῳ λάτρις γενόμαν.
ἔτι δὲ Κασταλίας ὕδωρ
ἐπιμένει με κόμας ἐμὰς
δεῦσαι παρθένιον χλιδὰν
Φοιβείαισι λατρείαις.

Apparet aut semel tantum duas breves uni longae respondere, v. 5. ubi nomen proprium suo iure fruitur, aut bis, si in antistrophae v. 7. plerorumque librorum scriptura *χρυσοτεύκτοις* recipitur; numeros autem variatos esse v. 8. et 9. quos tamen, ut saepe in Glyconeis, exaequare non est difficile, ac v. 9. quidem sic:

ἔτι δ' ὕδωρ τὸ Κασταλίας,

v. 8. autem librorum scripturae *γενόμαν* et *ἐγενόμαν* incertae redduntur adnotationibus scholiastarum: *ἴσα ἀντὶ τοῦ ὁμοίως καὶ ἴσως ἀγάλμασι χρυσέοισιν, ὥςπερ τι διὰ χρυσοῦ κατεσκευασμένον ἀνάθημα, οὕτως ἐπέμφθην*, et: *ἐτάχθην γενέσθαι, ἤτοι γενήσομαι, ἵν' ᾖ ὡς τὸ κατενάσθην· ἢ λάτρις καὶ δούλη ὠνομάσθην καὶ ἐτιμήθην, ἤγουν πᾶσα τῷ θεῷ ἀφιέρωμαι*, ut alter *Φοίβῳ λάτρις ἐστάλην*, alter *Φοίβῳ λάτρις ᾐνέθην* legisse videatur.

Recentior tragoediae aetas videtur in basi etiam anapaestum admisisse, si antitheticus versus spondeum haberet, ut in Iphigenia Taurica v. 1105. 1120.

λίμναν θ' εἱλίσσουσαν ὕδωρ.
μεταβάλλει δ' εὐδαιμονία.

In Sophoclis Philocteta autem v. 1089. 1110.

> τί ποτ᾽ αὖ μοι τὸ κατ᾽ ἦμαρ,
> κραταιαῖς μετὰ χερσίν,

non ferendus in strophico anapaestus: quare τί delevi. In Aristophanis Ranis v. 1322. vituperari usurpatum ab Euripide hunc pedem, itemque dactylum post basin ante choriambum volunt scholiastae:

> περίβαλλ᾽, ὦ τέκνον, ὠλένας.
> ὁρᾷς τὸν πόδα τοῦτον; ὁρῶ.
> τί δαί; τοῦτον ὁρᾷς; ὁρῶ.
> τοιαυτὶ μέντοι σὺ ποιῶν
> τολμᾷς τἀμὰ μέλη ψέγειν,
> ἀνὰ τὸ δωδεκαμήχανον
> Κυρήνης μελοποιῶν;

§. 469.

Dactylus ubi in basi est, utraque forma, et haec

> –◡◡–◡◡–◡–,

et illa

> –◡◡–⏓–◡◡–

fere semper sibimet ipsi accurate respondet, ut dubitari possit, an hi dactylici potius numeri sint. In recentiore tragoedia dactylus in basi poni falso putabatur. Intellectum est enim neglectam responsionum congruentiam ab erroribus scribarum esse profectam, ut in Euripidis Iph. Aul. 547. 562.

> μελομένων οἴστρων, ὅθι δή.
> μέγα φέρουσιν εἰς ἀρετάν.

Vbi μαινομένων legebatur. Et in Iphig. Taur. 1129. 1144.

> ἑπτατόνου κέλαδον λύρας.
> παρθένος εὐδοκίμων γάμων.

Vbi scriptum erat κέλαδον ἑπτατόνου λύρας. Quod genus numeri logaoedici saepe cum Glyconeis coniunctum invenitur, ut in Aristoph. Thesm. 1136. quod carmen sic scribendum:

Παλλάδα τὴν φιλόχορον ἐμοὶ	*προῳδ.*
δεῦρο καλεῖν νόμος ἐς χορόν,	
παρθένον, ἄζυγα κούρην,	
ἣ πόλιν ἡμετέραν ἔχει,	*στρ. ά.*
καὶ κράτος φανερὸν μόνη,	
κληδοῦχός τε καλεῖται.	
φάνηθ', ὦ τυράννους	*μεσῳδ.*
στυγοῦσ', ὥςπερ εἰκός,	
δῆμος ἐπεί σε καλεῖ γυναι-	*ἀντ. ά.*
κῶν. ἔχουσα δέ μοι μόλοις	
εἰρήνην φιλέορτον.	
ἥκετε δ' εὔφρονες ἵλαοι,	*στρ. β'.*
πότνιαι, ἄλσος ἐς ὑμέτερον,	
ἄνδρας ἵν' οὐ θέμις εἰςορᾶν	
ὄργια σεμνὰ θεαῖν, ἵνα λαμπάσι	
φαίνετον ἄμβροτον ὄψιν.	
Θεσμοφόρω πολυποτνία,	*ἀντ. β'.*
μόλετον, ἔλθετον, ἀντόμεθα,	
καὶ πρότερόν ποτ' ἐπηκόω	
ἤλθετε, νῦν ἀφίκεσθ', ἀφίκεσθ', ἱκε-	
τεύομεν, ἐνθάδε χἡμῖν.	

§. 470.

Choriambus, qui sequitur basin in hac forma,

∴ ∴ | –́ ⏑ ⏑ – | ⏓ –́

neque in dipodiam iambicam, ut in aliis versibus choriambicis, mutatur, quia basin non potest anacrusis sequi; neque in Molossum, ut videtur, propter nimiam ambiguitatem, quae inde oritura esset, quum tales versus quivis sic potius esset mensurus,

∴ ∴ | –́ – | –́ ⏓ –

quam, quemadmodum deberet:

∴ ∴ | –́ – – | ⏓ –́

§. 471.

Solutiones vero huius choriambi in recentiore praesertim tragoedia non sunt rarae. Et primae quidem syllabae, ut Soph. Oed. C. 186. 205. nisi hic versus iambicus est:

τέτροφεν ἄφιλον ἀποστυγεῖν.
τίς ὁ πολύπονος ἄγει, τίν' ἄν.

Et in Pherecrateo Hel. 1502. 1519.

ἐπιπετόμενος ἰακχεῖ.
ῥόθια πολιὰ θαλάσσας.

Vltimae syllabae, ut in Hel. 1505. 1522.

βᾶτε Πλειάδας ὑπὸ μέσας
δυςκλείαν ἀπὸ συγγόνου.

Nec dubito, quin aliquando etiam utramque solverint, ut in altera forma, de qua §. 475.

§. 472.

In secunda forma,

∴ ∴ | ⏑́ ⏒ | ⏑́ ⏑ ⏑ –
| ⏑⏑ |

ordo ille, qui post basin est, et solutionem arseos et finalem ancipitem admittit. Vnde pro trochaeo nunc spondeus nunc tribrachus, et hi quidem saepissime, nunc etiam, sed rarius, anapaestus ponitur, ut in Oreste v. 812. 824.

οἰκτρότατα θοινάματα καί.
Τυνδαρὶς ἰάκχησε τάλαι-να.

Iph. Aul. 1041. 1063.

Πιερίδες ἐν δαιτὶ θεῶν.
παῖδες Θεσσαλαί, μέγα φῶς.

§. 473.

Vbi dactylus hic pes est, videndum ne versus non sint Glyconei, ut in Iph. Taur. 1092. 1109.

εὐξύνετον ξυνετοῖσι βοάν.
οὐλομένων ἐνὶ ναυσὶν ἔβαν.

Qui dactylici potius esse videntur. Veri simile est tamen, recentiorem tragoediam etiam in Glyconeis interdum hunc pedem dactylum fecisse: vide §. 468.

§. 474.

Choriambus, qui in hac forma ultimum locum tenet, non videtur in Molossum mutatus esse. Nihil enim probat Soph. Antig. 103. 120.

ἐφάνθης πότ', ὦ χρυσέας,
ἔβα, πρίν ποθ' ἁμετέρων,

non solum propter ambiguam mensuram verbi *χρύσεος*, de qua v. Elem. d. m. p. 44., sed etiam, quia deleto *ὦ* facile restitui altera Glyconei forma potest.

§. 475.

Solvi vero choriambi huius utramque longam licet. Eurip. Bacch. 410. 427.

ἐκεῖσ' ἄγε με, Βρόμιε, Βρόμιε.
σοφὰν δ' ἄπεχε πραπίδα φρένα τε.

§. 476.

Nam etsi Glyconei interdum non perpetuato numero sese excipiunt, unde et hiatus in fine locum habet, et syllaba anceps (vide Seidler. ad Eurip. Electr. 153. et 207.), tamen plerumque in systemata coniuncti, excluso hiatu et syllaba ancipiti, non modo verba inter duos versus dividi, sed etiam ultimam versus syllabam solvi patiuntur. Vide Seidlerum de verss. dochm. p. 260. et ad Eurip. Iph. Taur. 1076.

§. 477.

Quemadmodum dochmiacis versibus alii numeri, similes illis, vel partes eorum, et intermiscentur et copulantur, ita

etiam Glyconeis ingens multitudo versuum iuncta invenitur, qui vel similes iis sint, vel ipsi ex Glyconeis, parte aliqua dempta vel addita, constent. Hi versus hoc fere commune habent, quod choriambum continent, alii pedi iunctum.

§. 478.

Vsitatissimae hae fere formae sunt. Primo brevissimae

–́⏑⏑–|⏓–́ et ∴ ∴ |–́⏑⏑–,

quae tamen utrum inter se permutatae fuerint, an non, incertum relinquam, quum sibi accurate respondere soleant. Vide tamen §. 493. Soph. Oed. Col. 128. 160.

ἃς τρέμομεν λέγειν.
ῥεύματι συντρέχει.

Eurip. Hec. 637. 646.

ἅλιος αὐγάζει.
παῖδας ἀνὴρ βούτας.

Apparet, hoc genus versuum etiam dochmiacum videri posse. Non poterit autem, si commutari potuit cum altera forma, quae est in his Eurip. Suppl. 960. 968.

δυςαίων δ' ὁ βίος,
οὔτ' ἐν τοῖς φθιμένοις.

In Bacch. 863. 883. quorum in priori εἰς αἰθέρα δροσερὸν legitur. scribendum:

αἰθέρ' ἐς δροσερόν.
τοὺς τ' ἀγνωμοσύναν.

§. 479.

Deinde anacrusi pro basi posita:

⏓–́⏔–|⏓–́ et ⏑ ⏖́ ⏑|–́⏔ ⏖

Nam has formas, etsi certa exempla non sunt in promptu, respondere sibi posse, analogia postulat. In catalectico autem:

⏓⏑́⏑̄⏑–⏑

Soph. Oed. R. 467.

ὥρα νιν ἀελλάδων
ἵππων σθεναρώτερον
φυγᾷ πόδα νωμᾶν.

Et in antistropha:

φοιτᾷ γὰρ ὑπ' ἀγρίαν
ὕλαν ἀνά τ' ἄντρα καὶ
πετραῖος ὁ ταῦρος.

Et in Aiace v. 1187. qui versus sic scribendi videntur:

δορυσσοήτων
μόχθων ἄταν ἐπάγων
ἀν' εὐρυώλεα Τρωΐαν.

Antistropha:

ἔδειξεν ὅπλων
Ἕλλασιν κοινὸν Ἄρη·
ἰὼ πόνοι πρόγονοι πόνων.

Amphibrachi, a quo altera forma incipit, arsis soluta in Helena 527.

ἀλλ' ἔτι κατ' οἶδμ' ἅλιον.

§. 480.

Simile huic est aliud genus, anacrusin habens anapaesticam:

⏑⏑–́⏑⏑–⏑– et ⏑⏑–́⏓ | –́⏑⏑–

Eurip. Hec. 905.

σὺ μὲν, ὦ πατρὶς Ἰλιάς.

Iph. Aul. 206.

τὸν ἰσάνεμόν τε ποδοῖν.

Et catalecticus, Hecub. 909.

δορὶ δή, δορὶ πέρσαν.

Vltima versus soluta v. 1330. 1348.

μέτα, κοῦραι ἀελλοπόδες.
πολέων δ' ἀπέλειπε βίος.

§. 481.

Catalectico interdum Creticus sive Molossus additur. Soph. Ai. 1191. 1198.

δύστανον ὄνειδος Ἑλλάνων.
κεῖνος γὰρ ἔπερσεν ἀνθρώπους.

§. 482.

Aliae formae longiores sunt Glyconeo. Harum prima est Glyconei hypercatalecti:

⁖ ⁖ | ⏔́ ⏑⏑– | ⏑–́ ⏓ et ⁖ ⁖ | –́ ⏓ | –́ ⏑⏑– ⏓

Soph. Oed. Col. 133. 165.

ἰέντες· τὰ δὲ νῦν τίν' ἥκειν.
κλύεις, ὦ πολύμοχθ' ἀλᾶτα;

Saepe dubitationem facit haec forma, ubi sequitur Glyconeus pro basi anacrusin habens, ut in Eur. Helena 1317.

ὀρεία ποτὲ δρομάδι κώλῳ
ματὴρ θεῶν ἐσύθη.

In huiusmodi locis, nisi aperte hiatus vel alia idonea caussa hanc descriptionem versuum postulet, ita potius distinguendi sunt, ut ambo sint legitimi Glyconei:

ὀρεία ποτὲ δρομάδι κώ-
λῳ ματὴρ θεῶν ἐσύθη.

§. 483.

Similis versus, sed pro basi solutum dactylum habens, in Bacchis est 874. 894.

–́ ⏑⏑–⏑ | –́⏑⏑–⏓
⏑⏑

σκιαροκόμου τ᾽ ἐν ἔρνεσιν ὕλας.
νόμιμον, ἀεὶ φύσει τὸ πεφυκός.

§. 484.

Aliud genus, saepius Glyconeis iunctum, hoc est:
–́⏑⏑–⏑–⏑–⏓

Soph. Oed. C. 119.
ἐκτόπιος συθεὶς ὁ πάντων.

Sed ubi quinta ab initio syllaba longa est, ex antispasto potius et ditrochaeo compositus esse hic versus putandus est, ut in Iphig. Aul. 761. 772.

⏓ –́ –́⏓ | –́⏑ –⏓
‘ ⏑⏑

μαντόσυνοι πνεύσωσ᾽ ἀνάγκαι.
ἀσπίσι καὶ λόγχαις Ἀχαιῶν.

§. 485.

Aliud genus hoc est:

∴́ ∴́ | –́⏓ | –́⏑⏑–⏑–⏓

Eurip. Electr. 736. 741.
καλλίστων ὄμβρων Διόθεν στερεῖσαι.
κτείνεις, κλεινῶν συγγενέτειρ᾽ ἀδελφῶν.

§. 486.

Longissimus, qui cognatus Glyconeis est versus, Phalaeceus hendecasyllabus est:

∴́ ∴́ | –́⏑⏑–⏑–⏑–⏓

De eo supra dictum §. 356.

§. 487.

Eadem ratio augendorum in fine versuum etiam in brevioribus illis formis, quae supra commemoratae sunt, invenitur. Eiusmodi hoc metrum est:

⏓–́⏓ | –́⏑⏑–⏓

Eurip. Hippol. 145. 155.

σὺ δ' ἀμφὶ τὰν πολύθηρον.
ἢ ναυβάτας τις ἔπλευσεν.

§. 488.

Alio modo ab initio augentur Glyconei. Vnde haec forma inventa:

⏓–́⏓ | –́⏑⏑– | ⏓–́

Soph. Antig. 814. 831.

ἔγκληρον, οὔτ' ἐπινύμφειος.
τέγγει θ' ὑπ' ὄφρυσι παγκλαύτοις.

Item

⏓–́⏓ | –́– | –́⏑⏑–

Euripides Cyclop. 41. 55.

πᾶ μοι γενναίων μὲν πατέρων.
σπαργῶντάς μοι μαστοὺς χάλασον.

§. 489.

Aliud genus trochaeum inter basin et reliquas Glyconei partes insertum habet:

∴ ∴ | –́⏓ | –́⏑⏑– | ⏑–́

et,

∴ ∴ | –́ ⏓ | –́⏑⏑– | –́–
⏑⏑

Eurip. Bacch. 865. 885.

ἐμπαίζουσα λείμαχος ἡδοναῖς.
αὔξοντας σὺν μαινομένᾳ δόξᾳ.

Hippol. 147. 157.

ἀνίερος ἀθύτων πελάνων τρύχει.
λιμένα τόνδ' εὐξεινότατον ναύταις.

§. 490.

Aliud genus, simile ei, quod §. 481. commemoratum est, ex Pherecrateo et Molosso, sive Cretico constat:

∴́ ∴́ | ⏒́ ⏑ ⏑ – ⏑ – | –́ –

Eurip. Med. 159. 183.

τάκου δυρομένα σὸν εὐνάταν.
πένθος γὰρ μεγάλως τόδ' ὁρμᾶται.

§. 491.

Aliquando praemittitur Glyconeo Bacchius:

⏑ –́ – | ∴́ ∴́ | –́ ⏑ ⏑ – | ⏑ –́

Soph. Ai. 1205. 1217.

ἐρώτων, ἐρώτων δ' ἀπέπαυσεν ᾤ-μοι
γενοίμαν, ἵν' ὑλᾶεν ἔπεστι πόν-του.

V. Oed. Col. 123. 155.

§. 492.

In fine additur Glyconeo Creticus vel Molossus in Electra Eurip. 434. 443. hoc metro:

‥ ‥ | –́ ⏓ | –́ ⏑ ⏑ – | –́ ⏑ –
‥ ‥ | –́ ⏑ ⏑ – ⏑ – | –́ | – –́

πέμπουσαι χοροὺς μετὰ Νηρῄδων.
μόχθους ἀσπιστὰς ἔφερον τευχέων.

Ion. 1236.

λεύσιμοι δὲ καταφθοραὶ δεσποίνᾳ.

§. 493.

Et versui §. 479. commemorato.

⏓⏗⏑⏑– | ⏑⏗ | ⏗ | ⏓⏗
⏓⏗⏓ | ⏗⏑⏑– |

Herc. fur. 791. 808.

Μουσῶν θ' Ἑλικωνίδων δώματα.
Πλούτωνος δῶμα λιπὼν νέρτερον.

§. 494.

Quemadmodum choriambici numeri, ut cognati, saepe Glyconeis miscentur, ut ap. Soph. Philoct. 175. 186., ita etiam unus choriambus interdum additur Glyconeo. Soluti exemplum est in Ione 122. 138.

παναμέριος ἅμ' ἁλίου-πτέρυγι θοᾷ.
το δ' ὠφέλιμον ἐμοὶ πατέρος-ὄνομα λέγω.

Nisi *πατρὸς* scribendum, ut qui sequitur choriambus solus per se separatum versum faciat.

§. 495.

Hinc inter Glyconeos saepe versus invenitur ex Cretico et choriambo compositus. Eurip. Hel. 1356.

ματρὸς ὀργὰς ἐνέπει·
βᾶτε, σεμναὶ Χάριτες.

§. 496.

Ad exemplum Glyconeorum et Pherecrateorum factum est etiam aliud genus, quod pro choriambo Creticum habet:

∴ ∴ | ⏗⏓ | ⏗⏑–   ∴ ∴ | ⏗⏓ | ⏗⏓
  | ⏑⏑ | ⏖ | ⏖ |

Aristoph. Eccles. 911.

αἶ αἶ, τί ποτε πείσομαι;
οὐχ ἥκει μοὐταῖρος·
μόνη δ' αὐτοῦ λείπομ'· ἡ
γάρ μοι μήτηρ ἄλλῃ.

Cuiusmodi versus hic illic legitimis Glyconeis adiuncti reperiuntur, ut in Avibus 680. in Hippol. 66. In minore versu si in basi iambus, tertia autem a fine syllaba brevis est, videri potest hoc metrum Bacchiacum esse, ut in Suppl. Eurip. 990. 1012.

τί φέγγος; τίν' αἴγλάν.
ὁρῶ δὴ τελευτάν.

In Ione v. 190. 201. spondeus in antistrophico basin tenens aperte detrectat Bacchiacum numerum:

ἰδού, τάνδ' ἄθρησον.
καὶ μὰν τόνδ' ἄθρησον.

Solutiones sunt in his: Eurip. Suppl. 1018. Electr. 153.

πηδήσασα πυρὸς ἔσω.
πατέρα φίλτατον καλεῖ.

Nisi in Electrae versu ἀγκαλεῖ scriptum fuit, quo hic versus par esset et praecedentibus et iis qui sequuntur.

§. 497.

Recisa prima huius metri syllaba, manet iambicus ischiorrhogicus, qui ipse non raro Glyconeis mixtus invenitur:

⏑–⏑ | – | ⏑–

Soph. Oed. Col. 121.

προςπεύθου, λεῦσσέ νιν,
προςδέρκου πανταχῇ.

Eurip. Hec. 449. 460.

κτηθεῖσ᾽ ἀφίξομαι.
πτόρθους Λατοῖ φίλᾳ.

§. 498.

Quoniam in strophis metra Glyconea habentibus non semper omnes versus legitimi Glyconei sunt, sed alii longiores, alii breviores, saepe difficillimum est versus recte describere, siquidem parte versus dempta et alteri versui addita non minus bona sunt et usitata metra. Vt in Soph. Antig. 100. sive ita distinguas,

ἀκτὶς ἀελίου, τὸ κάλ-
λιστον ἑπταπύλῳ φανὲν
Θήβᾳ τῶν προτέρων φάος,

sive sic,

ἀκτὶς ἀελίου,
τὸ κάλλιστον ἑπταπύλῳ
φανὲν Θήβᾳ τῶν προτέρων,

per se neutra ratio reprehendi potest. In huiusmodi igitur locis diligenter videndum est, quid antistropharum comparatio, si carmen antistrophicum est, vel hiatibus, vel syllabis ancipitibus, vel pedum responsione, postremo quid omnis orationis conformatio maxime probabile esse suadeat. Vide Elem. d. m. p. 569. seqq.

CAP. III.

De versu Priapeo.

§. 499.

Versus Priapeus ex Glyconeo et Pherecrateo in unum coniunctis constat: quem metrici male ad antispastos referunt. Formas habet tres:

⁖ ⁖ | ∠∪∪– | ∪∠	⁖ ⁖ ∠∪∪–⏒
⁖ ⁖ | ∠⏒∠∪∪–	
∠∪∪– | ∪∠∪–	∠∪∪– | ∪∠⏒

Quarum credibile est plerumque constanter unam usurpatam esse, ut apud Anacreontem:

ἠρίστησα μὲν ἰτρίου λεπτοῦ μικρὸν ἀποκλάς,
οἴνου δ' ἐξέπιον κάδον· νῦν δ' ἁβρῶς ἐρόεσσαν
ψάλλω πηκτίδα τῇ φίλῃ κωμάζων παιδ' ἁβρῇ.

et apud Catullum carm. XVII. et fragm. 2. atque in Priapeorum carmine 88. quod a quibusdam eidem Catullo adscriptum est. Secunda est apud Euphorionem Chersonesium[1]

οὐ βέβηλος, ὦ τελεταὶ τοῦ νέου Διονύσου·
κἀγὼ δ' ἐξ εὐεργεσίης ὠργιασμένος ἥκω,
ὁδεύων Πηλουσιακὸν κνεφαῖος παρὰ τέλμα.

§. 500.

Comici utrum omnes formas promiscue posuerint, an singulis singulas in antistrophicis opposuerint, incertum est. Pherecrates, sive is alius est, in Persis apud Athenaeum XV. p. 685. A. v. Meinekium II. 1. p. 318.

ὦ μαλάχας μὲν ἐξερῶν, ἀναπνέων θ' ὑάκινθον,
καὶ μελιλώτινον λαλῶν, καὶ ῥόδα προςσεσηρώς·
ὦ φιλῶν μὲν ἀμάρακον, προςκινῶν δὲ σέλινα,
γελῶν δ' ἱπποσέλινα, καὶ κοσμοσάνδαλα βαίνων,
ἔγχει, κἀπιβόα τρίτον Παιῶν', ὡς νόμος ἐστίν.

Et ibidem qui *Μεταλλεῖς* scripsit: v. Meinek. II. I. p. 305.

ὑπ' ἀναδενδράδων ἁπαλὰς ἀσπαλάθους πατῶν τις
ἐν λειμῶνι λωτοφόρῳ, κύπειρόν τε δροσώδη,
κἀνθρύσκου, μαλακῶν τ' ἴων λείμακα, καὶ τριφύλλου.

§. 501.

Caesura ubique diligenter observatur. In basi non puto pyrrhichium umquam usurpatum esse: v. §. 502. Tribrachum quae attuli exempla tuentur. Dactylus invenitur in versibus, quos affert scholiastes Theocriti in prolegomenis:

δέξαι τὰν ἀγαθὰν τύχαν, δέξαι τὰν ὑγίειαν,
ἃ φέρομεν παρὰ τᾶς θεοῦ, κἀχαρίσσατο τήνα.

Posui quod et metro et sententiae conveniret. Scribebatur *ἂν φέρομεν παρὰ τῆς θεοῦ, ἂν ἐκαλέσσατο τήνα.*

§. 502.

Videtur hoc metrum asynartetum fuisse. Vnde et hiatus in exemplo illo apud scholiastam Theocriti, et syllaba anceps apud Catullum XIX. 4.

nutrivi magis et magis, ut beata quotannis,

et commentum grammaticorum, hexametro heroico nomen versus Priapei tribuentium, si is ita conformatus est, ut metro isto legi possit, ut,

Κουρῆτές τ' ἐμάχοντο καὶ Αἰτωλοὶ μενεχάρμαι.
cui non dictus Hylas puer, et Latonia Delos.
aut Ararim Parthus bibet, aut Germania Tigrim.

Huiusmodi est versus Cratini apud Athenaeum XIII. pag. 566. E.

ταυτὶ καὶ τολμᾷς σὺ λέγειν ῥοδοδάκτυλος οὖσα.


Qui, si locus esset pyrrhichio in basi, videri posset Priapeus esse. Sed recte eum pro heroico habuit Dobraeus in addendis ad Aristoph. Plut. 555. V. Meinekium II. 1. p. 181.

CAP. IV.

De metro Eupolideo.

§. 503.

Versus **Eupolideus**, comicorum proprius, non recte a metricis in polyschematistis numeratur. Constat hoc metrum ex versu Glyconeo, choriambum habente in fine, et alio simili membro, in quo Creticus pro choriambo est, de quo v. §. 496. caesura, quae est in fine prioris membri, saepissime neglecta.



Luculentum exemplum 45. versuum exstat in Nubibus Aristophanis v. 518. seqq.

ὦ θεώμενοι, κατερῶ πρὸς ὑμᾶς ἐλευθέρως.

§. 504.

In basi trochaeus, iambus, spondeus, interdum tribrachus inveniuntur. Aristoph. Nub. 539.

ἐρυθρὸν ἐξ ἄκρου, παχύ, τοῖς παιδίοις ἵν' ᾖ γέλως.

Pherecrates ap. Athen. XIII. p. 612. A.

συνέδριον τοῖς μειρακίοις ἵν' ἐλάλει δι' ἡμέρας.

Trochaeus, qui sequitur basin, interdum, sed raro, arsin solutam habet. Pherecrates ibidem:

κᾆτα μυροπωλεῖν τί μαθόντ' ἄνδρ' ἐχρῆν καθήμενον.

Plato in Hyperbolo apud scholiastam Aristophanis ad Av. 121.

καὶ τοσοῦτον εὐερίας ἀπολέλαυχ' Ὑπέρβολος,
ὥςτ' αὐχμότατός ἐστι.

Vide Dobraeum in Aristophanicis p. (121.) et Meinekium II. 2. p. 669. *Αὐχμότατος* nescio an dictum sit vocabulo, quod Graece balbutiens Hyperbolus usurpaverit, quem poeta in primo illius comoediae fragmento, *δητώμην* (sic scribendum) pro *διητώμην* et *ὀλίον* pro *ὀλίγον* dixisse ait.

CAP. V.

De metro Cratineo.

§. 505.

Metrum Cratineum priore tantum parte ab Eupolideo differt, in qua choriambum et dipodiam iambicam habet:

-́ ∪ ∪ – | ∪̅ -́ ∪ – || ∴ ∴ | -́ ∪̅ | -́ ∪ –

Εὔϊε, κισσοχαῖτ' ἄναξ, χαῖρ', ἔφασκ' Ἐκφαντίδης.
πάντα φορητά, πάντα τολμητὰ τῷδε τῷ χορῷ.
πλὴν Ξενίου νόμοισι, καὶ Σχοινίωνος, ὦ Χάρων.

Eupolis:

ἄνδρες ἑταῖροι, δεῦρο δὴ τὴν γνώμην προςίσχετε,
εἰ δυνατόν, καὶ μή τι μεῖζον πράττουσα τυγχάνει.

Apparet caesuram saepe negligi. Ceterum fallitur Hephaestio, confundens hoc metrum cum choriambico, quod ipse polyschematistum vocat.

CAP. VI.

De choriambico dicto polyschematisto.

§. 506.

Choriambicum metrum, quod **polyschematistum** metrici vocant, non videtur polyschematistum esse. Constat ex his partibus:

⏑́⏑⏑– | ⏑–́⏑– || –́⏑⏑–⏑–⏓

Nam praeter caesurae neglectionem ita purum servasse numerum videntur comici, ut ne spondeum quidem in initio dipodiae iambicae ponerent, quin etiam a solutionibus abstinerent. Anacreon:

Σίμαλον εἶδον ἐν χορῷ πηκτίδ' ἔχοντα καλήν.

Eupolis:

καὶ ξυνεγιγνόμην ἀεὶ τοῖς ἀγαθοῖς φάγροισιν.

Sedecim versus Eupolidis hoc metro scriptos servavit Athenaeus VI. p. 236. E.

CAP. VII.

De epionico dicto polyschematisto.

§. 507.

Versus, quem **epionicum polyschematistum** metrici vocant, neque Ionici numeri ullum vestigium habet, nisi prava ratione in dipodias describatur, nec polyschematistus est. Constat ex his ordinibus:

⏓⏒⏓ | ⏒⏑⏑–– || ⏓⏒⏓ | ⏒⏑⏑–

Caesura non ubique servatur. Eupolis *Χρυσῷ γένει* apud Meinekium II. 1, p. 535.

ὦ καλλίστη πόλι πασῶν, ὅσας Κλέων ἐφορᾷ,
ὡς εὐδαίμων πρότερόν τ' ἦσθα, νῦν τε μᾶλλον ἔσει.

Idem:

ἔδει πρῶτον μὲν ὑπάρχειν πάντων ἰσηγορίαν.
πῶς οὖν οὐκ ἄν τις ὁμιλῶν χαίροι τοιᾷδε πόλει,
ἵν' ἔξεστιν πάνυ λεπτῷ κακῷ τε τὴν ἰδέαν.

Sic nunc apparet scribendum esse: vide Lindemannum ad Prisciani opera minora p. 252.

CAP. VIII.

De versibus asynartetis.

§. 508.

Metrici versus eos, in quibus duo membra coniuncta sint, quae connecti copularique nequeant, **asynartetos** vocant. Quae definitio falsa est, quia etiam in permultos versus

cadit, qui non numerantur in asynartetis. Quare nos eos versus **asynartetos** vocamus, quorum partes laxiore vinculo cohaerent, ita ut perpetuari orationis cohaerentia possit, et hiatu syllabaque ancipiti interrumpi. Vt apud Plautum Amph. I. 1, 35. 39.

qui múlta Thebanó poplo-acérba obiecit fúnera,
regíque Thebanó Creonti régnum stabilivít suum.

Inventor asynartetorum putatur Archilochus fuisse, uno versu duos coniungens, hiatu et syllaba ancipiti in commissura admissis. Idem an eosdem versus etiam perpetuata oratione divisoque inter utramque partem vocabulo condiderit, incertum: dubito autem. Metra, quae ab Hephaestione ut asynarteta commemorantur, haec sunt.

§. 509.

Archilochi metrum est hoc:

⏓–́⏑⏑–⏑⏑–⏓ | –́⏑–⏑–⏓

in quo ille constanter caesuram observavit,

Ἐρασμονίδη Χαρίλαε, χρῆμά τοι γελοῖον.

Saepe eo metro usi comici, sed non diligenter custodita caesura. Eupolis:

ὦ δέσποτα, καὶ τάδε νῦν ἄκουσον, ἃν λέγω σοι.

§. 510.

Simili versu usus Cratinus:

⏑–́⏑⏑–⏑–⏓ | –́⏑–⏑–⏓

Ἐρασμονίδη Βάθιππε, τῶν ἀωρολείων.

§. 511.

Vere asynartetus est hic Archilochi:

–́⏑⏑̄–⏑⏑̄–́⏑⏑̄–⏑⏓ | –́⏑–⏑–⏓

οὐκ ἔθ' ὁμῶς θάλλεις ἁπαλὸν χρόα· κάρφεται γὰρ ἤδη.
καὶ βήσσας ὀρέων δυςπαιπάλους, οἷος ἦν ἐφ' ἥβης.

Vsus hoc etiam Horatius I. 4. sed ut ab licentia ancipitis et hiatus abstineret. Neglexit caesuram, sed in verbo composito, Simonides epigr. XCI.

τῶν ἐχορήγησεν κύκλον μελίγηρυν Ἱππόνικος.

§. 512.

Similem versum, cuius prior pars catalectica est in disyllabum, Cratinus fecit:

χαίρετε, πάντες θεοί,· πολύβωτον ποντίαν Σέριφον.

Vide Elem. d. m. p. 644.

§. 513.

Alius Archilochi asynartetus, quem etiam Horatius epod. XI. asynartetum fecit, hic est:

–́⏑⏑–⏑⏑–⏑ | ⏒–́⏑–⏒–́⏑–

ἀλλά μ' ὁ λυσιμελὴς, ὦ 'ταῖρε δάμναται, πόθος.

arguit et latere petitus imo spiritus.
fervidiore mero arcana promorat loco.

§. 514.

Omisit Hephaestio ex iisdem membris inversis ab Archilocho conditum asynartetum, de quo v. Bentl. ad Horat. epod. XI. Vsus eo Horatius epod. XIII.

levare diris pectora sollicitudinibus.

§. 515.

Alcaeo Anacreontique usurpatum esse hoc metrum ait Hephaestio:

–́⏑⏑–⏑⏑– | ⏒–́⏑–⏒

Alcaei hoc posuit exemplum:

ἦ ῥ' ἔτι Διννομένῃ τῷ Τυῤῥακήῳ
τἄρμενα Λαμπρακέᾳ τ' ἐν μυρσινήῳ.

Scripsi quod metro conveniret. Nam quae vera sit huius fragmenti scriptura post tot vanos conatus vereor ut inveniri possit nisi novis repertis testimoniis. Illud apertum est, ferri non posse quod in altero versu libri veteres habent, τἄρμενα λαμπρὰ κέατ' ἐν μυρσίνῳ. In priore codex Palatinus τῷ τ' ὑῤῥακήῳ. Anacreontis hunc versum attulit Hephaestio:

ὀρσόλοπος μὲν Ἄρης φιλέει μεναίχμαν.

Eum vero logaoedicum esse hoc metro,

∠∪∪–∪∪–∪–∪–⏒

eo cognoscitur, quod etiam cetera huius metri exempla, quae in Anacreonteis inveniantur, quintam a fine syllabam brevem habent. Quod nisi Hephaestio duo diversa metra confudit, Alcaei fragmentum huiusmodi quid habuisse censendum erit:

ἦ ῥ' ἔτι Διννομένῃ τε Τυῤῥακήῳ
τἄρμενα Λαμπρακέᾳ τε Μυρσινήῳ.

§. 516.

Aliud ex Iobacchis Archilocho adscriptis:

⏒∠∪–⏒∠∪– | ∠∪–⏒∠∪–

Δήμητρος ἁγνῆς καὶ Κόρης τὴν πανήγυριν σέβων.

§. 517.

Aliud huiusmodi apud Euripidem:

⏒∠∪–⏒∠∪– | ∠∪–∪–⏒

ἑῷος ἡνίχ' ἱππότας ἐξέλαμψεν ἀστήρ.

Vide Callim. fr. 116.

§. 518.

Aliud genus Hephaestio ita compositum esse vult,

∠∪–⏒∠∪–⏒ | ⏒∠∪–∪–⏒

exemplo usus trium versuum sic scriptorum:

ἔστι μοι καλὰ πάϊς χρυσέοισιν ἀνθέμοισιν
ἐμφερῆ ἔχοισα μορφάν, Κλεῖς ἀγαπατά,
ἀντὶ τᾶς ἐγὼ οὐδὲ Λυδίαν πᾶσαν οὐδ' ἐραννάν.

Quorum quum secundum caesurae indicio cum forma metri supra posita congruere dicat, apertum est scripturam corruptam esse. Primum ex trochaico dimetro catalectico et dimetro acatalecto, tertium ex hypercatalecto et brachycatalecto con- [illegible] ut videtur, depravata scriptura. Veri simile est horum versuum [illegible] metrum esse:

–́ ⏑ – ⏑ –́ ⏑ – ⏓ | –́ ⏑ – ⏑ – ⏓

ἔστι μοι καλὰ πάϊς χρυσέοισιν ἀνθέμοισιν
ἐμφερῆ ἔχοισα μορφάν, Κλῆϊς ʿἀγαπατά,
τᾶς ἐγὼ οὐδὲ Λυδίαν ἅπασαν οὐδ' ἐραννάν.

§. 519.

Aliud Anacreontis:

–́ ⏑ ⏑ – ⏑ –́ ⏑ – | –́ ⏑ – ⏑ – ⏓

τὸν λυροποιὸν ἠρόμην Στράττιν, εἰ κομήσει.

§. 520.

Aliud Callimachi:

⏑ –́ ⏑ – ⏑ – ⏓ | ⏓ –́ ⏑ – ⏑ – ⏓

Δήμητρι τῇ πυλαίῃ, τῇ τοῦτον οὐκ Πελασγῶν.

§. 521.

Aliud Sapphus:

–́ ⏑ – ⏑ – ⏓ | –́ ⏑ – ⏑ – ⏓

δεῦρο δηὖτε, Μοῖσαι, χρύσεον λιποῖσαι.

§. 522.

Aliud eiusdem:

–́ ⏑ ⏑ – ⏑ – ⏓ | –́ ⏑ ⏑ – ⏑ – ⏓

ὄλβιε γαμβρέ, σοὶ μὲν δὴ γάμος, ὡς ἀρᾶσαι,
ἐκτετέλεστ᾽, ἔχεις δὲ παρθένον, ἂν ἀρᾶσαι.

Affert Hephaestio etiam neglectae caesurae exemplum:

μελλίχιος δ᾽ ἐπ᾽ ἱμέρτῳ κέχυται προςώπῳ.

§. 523.

Aliud exstat in epigr. Simonidis in Brunck. Anal. T. I. p. 141.

⏑–́⏑–⏓ | –́⏑⏑–⏑⏑–⏑–⏓
ἀνωλόλυξαν κισσοφόροις ἐπὶ διθυράμβοις.

§. 524.

Aristophanes in Lysistr. v. 1014. seqq. hoc genere usus est, non servans caesuram:

–́⏑–⏓–́⏑–⏓ | –́⏑⏑⏑–⏑⏓
οὐδέν ἐστι θηρίον γυναικὸς ἀμαχώτερον,
οὐδὲ πῦρ, οὐδ᾽ ὧδ᾽ ἀναιδὴς οὐδεμία πόρδαλις.

Alia, quae pro asynartetis habita sunt, infra, maxime cap. XI. commemorabuntur.

CAP. IX.

De versu Saturnio.

§. 525.

De hoc metro multa confusa et perplexa rettulerunt grammatici Latini. Fragmentum Charisii, unde aliquid lucis speratum erat, ex codice Neapolitano editum a F. G. Schneidewino Gottingae a. 1841. nihil quod huc pertineat continet.

Scripsere de hoc versu Th. G. Irmiscus, nisi Io. Fr. Christius, Lipsiae a. 1754. H. Düntzer et Laur. Lersch Bonnae 1837. severam censuram experti in notitiis litterariis Monacensibus a. 1838. m. Octobr. n. 213—215. item C. H. Weise Germanice Quedlinburgi et Lipsiae 1839. Non vidi dissertationem editam in vol. I. p. 197—236. libri eodem anno Mutinae hoc titulo editi: Lezioni accademiche di Giovanni Galvani. Secundum nostram asynartetorum definitionem non pertinet ad asynartetos versus Saturnius, quo Romanorum antiquissimi poetae solo videntur usi esse. Eo et tituli perscribebantur, et carmina poetarum. Vertitque hoc metro Livius Andronicus Odysseam: Naevius autem eo scripsit bellum Punicum primum. Numeros habet hos:

⏒ –́ ⏑ – ⏑ –́ ⏒ ¦ –́ ⏑ – ⏑ – ⏒

Dabúnt malum Metélli Naévio poetae.

Sed et caesuram saepe neglexerunt rudes isti poetae, et omni genere solutionum usi sunt, ut adeo ancipitem in fine prioris membri solverent; iidem pro more antiqui sermonis spondeos in omnibus locis tulerunt. Quin veterrimi satis habuisse videntur, si versus aliquo modo his numeris similes esse viderentur. Nam apud omnes gentes initia poesis talia fuerunt, qualia ubique etiamnum ab hominibus rudibus atque incultis componi videmus. Pronuntiant illi verba sic, ut in quotidiano sermone consueverunt, includuntque etiam numero eo, qui illius sermonis proprius est, hoc est trochaico vel iambico, idque sic, ut fere numerent magis syllabas quam ponderent. Eiusmodi ex antiqua Graecia superest ᾠδὴ ἐπιμύλιος, cuius verba posuit Plutarchus in Sept. Sapient. Convivio c. 14. hoc metro:

–́ ⏑ – ⏑ – ⏑
–́ ⏑ – ⏑ –́ ⏑ –
⏑ –́ ⏑ – ⏑ –́ ⏑ – ⏑ –́ ⏑

ἄλει μύλα ἄλει·
καὶ γὰρ Πιττακὸς ἀλεῖ
μεγάλας Μυτιλάνας βασιλεύων.

De quo carmine dixit Ritschelius in Museo Rhenano a. 1841. I. p. 301. Sic igitur composita fuerunt etiam Latinorum antiquissima carmina, ut aliquo quocumque modo numerum referrent iambici dimetri catalectici, quem sequeretur trochaicus dimeter brachycatalectus, nec iusta mensura syllabarum observata, neque hiatu vitato, nec nullis admissis elisionibus, aliquando etiam tribracho vel dactylo in trochaei locum recepto idque in ipso ultimo pede, in quo etiam recentiores poetae Itali, raro tamen, raptim pronuntiandum tribrachum posuerunt, ut Ariostos in Rolando Furioso II. 56. X. 76. Sed progredior ad exempla. Varro de L. L. VII. 27. 28. affert ex carmine Saliari:

divum éxta cante, divum déo supplice cante;

et ex carmine Priami, quod cuius poetae sit nescio:

veterés, Camena, cascas rés volo profari
et Priamum.

Certissima sunt quae in monumento Scipionum sunt inventa, quae Niebuhrius in Historiae Romanae vol. I. p. 263. secundae editionis, et paullo aliter in tertia editione p. 286. sed in neutra satis probabiliter distinxit. Ponam ego quoque obsoletae scripturae robigine detersa, distinctisque alia litterarum forma, quae lapicida neglexisse visus est:

Cornélius Lucius Scípio Barbatus
Gnaevó patre prognatus fórtis vir sapiensque
cuiús forma virtuti párissuma fuit.
consúl censor aedilis quí fuit apud vos.
*Taurásiam Cesaunam Sámnium*que *cepit.*
subígit omnem Lucanam óbsidesque abducit.

Aliud:

*hunc únum plurimi conséntiunt R*omani
Romaé *bonorum optumúm fuisse virum*
Lucíum Scipionem fílium Barbati.

consúl censor aedilis híc fuit apud vos.
hīc cépit Corsicam Alériamque urbem.
dedít dicavit *Tempestátibus aedem merito.*

Aliud:

. . . . . *qui ápicem insigne*
diális flaminis gessísti, mors perfecit,
tuá ut essent omnia brévia, honos, fama,
virtúsque gloria atque ingénium, quibus si
in lónga licuisset tíbi utier vita,
facíle superasses glóriam maiorum.
quaré lubens te in gremium, Scípio, recepit
terrá Publi prognatum Públio Corneli.

Ex his existimari potest fideliter rettulisse T. Livium, quae eo metro apud vetustiores scripta invenerat, ut oraculum Delphicum V. 16.

Románe, aquam Albanam cave lácu contineri,
cave ín mare manare súo flumine sinas:
emíssam per agros rigábis, dissipatam
rivís exstingues: tum tu ínsiste audax hostium
murís, memor quam per tot ánnos obsides iam
urbem, éx ea tibi his quae núnc panduntur fatis
victóriam datam. belló perfecto donum
amplúm victor ad mea témpula portato
sacráque patria, quorum ést omissa cura,
instaúrato, atque sic *ut ádsolet* ea *facito.*

Et Marcii vatis carmina, XXV. 12.

Amném Troiugena Cannám Romane fuge,
ne té alienigenaé cogant in campo
Diómedis consereré manus: sed tu nec
credés mihi donec compléris sangui campum
multáque milia tua déferat occisa
amnís in pontum magnum éx terra frugifera

piscibus atque alatis *ávibus ferisque*
quae térras incolunt, eis ut fuat esca
caró tua: nam ita Iúppiter mihi fatust.

Et alterum ibidem atque apud Macrobium Sat. I. 17.

Hostém, Romani, si ex ágro expellere voltis,
si *vómicamque, gentiúm quae venit longe,*
Apóllini vovendos cénseo ludos, qui
quotánnis comiter Apóllini fiunto,
quum pópulus ex publicó dederit partem,
partém *privati ut conferánt pro se suisque.*
eís ludis faciundis praéerit is praetor,
qui pópulo ius plebeíque dabit summum.
decémviri Graeco ritu hóstiis sacra faciant.
haec sí recte faxitis, gaúdebitis semper,
fiétque melior et *pública res vestra.*
nam ís divos exstinguet pérduelles vestros,
qui véstros campos pascunt plácide . . .

Vltimo versui, nisi in medio aliquid excidit, fortasse deest *impune.* Abstineo manum a tabula Regilli, quam Livius XL. 52. exhibuit, quoniam nimis corrupta scriptura est, quam ut sine melioribus libris videatur restitui posse.

Venio ad Livii Andronici Odysseam, cuius initium fuit:

virúm mihi, Camena, ínsece versutum.

Fragmenta illius operis posui in Elementis doctrinae metricae p. 618. seqq. quibus ex sexto libro addenda esse, quae Charisius p. 178. non nominato auctore affert, expressa e. v. 295. 296. vidit M. Hauptius:

ibi manens sedeto, dónicum videbis
me cárpento vehentem ín *domum venisse.*

Debebam autem Odysseae fragmenta non ad recentioris prosodiae leges exigere, sed servare vetustae pronuntiationis morem. Ita exempli caussa integri Saturnii sunt hi:

apúd nympham Atlantis filiam Calypsonem.
Mercúrius cumque eo filius Latonas.

Videtur tamen iam ipse Livius vertendis Graecorum tragoediis auctor fuisse severioris versuum elaborationis, ita ut etiam qui deinceps Saturnios versus facerent, mensuram syllabarum observare accuratius discerent. Idque, nisi fallor, in Bello Punico fecit Naevius, cuius carminis quae servata sunt fragmenta ei rei fidem faciunt, colorem referentia eum, quem habet epigramma, quod eum tumulo suo incidendum reliquisse scripsit Gellius I. 24.

Mortális immortális flére si foret fas,
flerént divae Caménae Naévium poetam.
itáque postquam est Orcíno tráditus thesauro,
oblíti sunt Romae loquiér Latina lingua.

Postremus Romanorum, qui hoc metro uteretur, Varro fuisse videtur in satiris.

CAP. X.

De versibus secundum antipathiam compositis.

§. 526.

Quae a metricis *μέτρα κατ' ἀντιπάθειαν μικτὰ* vocantur, de quibus v. supra §. 454., compositiones sunt diversorum numerorum. Commemorant illi haec. Epichoriambicum Sapphicum hendecasyllabum, quod ita metiendum:

´∪–⏑ | ´∪∪–∪–⏑

ποικιλόθρον' ἀθάνατ' Ἀφροδίτα.

De eo infra dicetur §. 583. seqq.

§. 527.

Pindaricum hendecasyllabum:

◡–́–́◡ | –́◡◡–◡–⏓

ὁ Μουσαγέτας με καλεῖ χορεῦσαι·
ἄγοις ὦ κλυτὰ θεράποντα Λατοῖ.

§. 528.

Epionicum a maiore Alcaicum hendecasyllabum:

⏓–́◡–⏓ | –́◡◡–◡⏓

ἄναξ Ἄπολλον, παῖ μεγάλω Διός.

De eo vide infra §. 586. seqq.

§. 529.

Epionicum Alcaicum dodecasyllabum:

◡–́◡–⏓ | –́◡◡–◡–⏓

ἰόπλοκ᾽ ἀγνὰ μειλιχόμειδε Σαπφοῖ.

§. 530.

Epionicum tetrametrum catalecticum:

◡–́◡–⏓ | –́◡◡–◡–⏓ | –́◡–

τοιοῦτος εἰς Θήβας πάϊς ἁρμάτεσσ᾽ ὀχήμενος.
μόλις μὲν Ἔννη λεπτὸν ἔχοισ᾽ ἐπ᾽ ἀτράκτῳ λίνον.

§. 531.

Epionicum a minori:

◡–́◡– ' ◡◡–́–́ | ◡◡–́–

περισσόν· αἶ γὰρ Ἀπόλλων ὁ Λύκειος.

§. 532.

Epionicum aliud:

⏑⏒⏑– | ⏑⏑⏒⏑–⏑–⏑

ἔχει μὲν Ἀνδρομέδα καλὰν ἀμοίβαν.
Σαπφοῖ, τί τὰν πολύολβον Ἀφροδίταν.

CAP. XI.

De numeris concretis.

§. 533.

Ex numeris concretis, de quibus dictum §§. 21. et 456. duo potissimum genera notanda sunt, unum, quod e dactylico genere ad paeonicum augetur, alterum quod e trochaico ad spondiacum. In his metris quoniam diversi numeri uno ordine periodico cohaerent, posterior autem maior est priori, arsin posterioris fortiorem esse necesse est, ut quae nova vi augeri debeat ad procreandum ordinem, qui maior est eo ordine, quem alioqui productura esset.

§. 534.

Et illo quidem genere, quod ex dactylico in paeonicum transit, tragici potissimum usi sunt, dactylicos numeros ita finientes,

⏒⏑⏑⏒⏑⏑⏑–

Illustre exemplum, in quo haec dactylici metri forma cum versu paroemiaco alternat, est in Oedipo Col. 216.

ΟΙ. ὤ μοι ἐγώ, τί πάθω, τέκνον; ἰώ.
Α. λέγ', ἐπείπερ ἐπ' ἔσχατα βαίνεις.

ΟΙ. ἀλλ' ἐρῶ· οὐ γὰρ ἔχω καταχρυφάν.
Χ. μακρὰ μέλλετον· ἀλλὰ τάχυνον.
ΟΙ. Λαΐου ἴστε τίν', Χ. ὤ. ΟΙ. ἀπόγονον;
τό τε Λαβδακιδᾶν γένος; Χ. ὦ Ζεῦ.
ΟΙ. ἄθλιον Οἰδιπόδαν; Χ. σὺ γὰρ ὅδ' εἶ;
ΟΙ. δέος ἴσχετε μηδὲν ὅσ' αὐδῶ.

Ad eum locum G. Dindorfius magnopere errare ait, qui hoc metrum ita uti dixi metiantur: nam ex trimetro catalectico in syllabam et paeone quarto compositum esse eo cognosci, quod et Sophocles et qui integrum hoc metro carmen condiderit Boethius caesuram diligenter ante paeonem servarint, qua neglecta Maximum Planudem in interpretatione Graeca carminis Boethiani valde minuisse numeri venustatem. Persuasit hoc Wundero. Aliis vereor ne non solum mira esse, sed etiam parum firmo fundamento niti videatur haec dactylici catalectici et quarti paeonis coniunctio. Nam in tredecim illis Boethii versibus unus certe putandus erit imperitissime factus esse, qui caesuram ante vocem encliticam haberet:

falce rubos silicem que resecat.

Omninoque nec metricis ista caesura nota fuit, quum Terentianus Maurus v. 1988. dactylico tetrametro catalectico syllabam addi, sed ita, ut penultima brevis sit, Servius autem in Centimetro p. 1824. (apud Gaisfordium p. 374.) hoc metrum, quod Faliscum vocant, ex tribus dactylis et pyrrhichio constare dicat, nec, quem eius auctorem memorant, Septimius Serenus observasse illam caesuram videatur: quae etsi in quattuor Sereni versibus apud Terentianum v. 2001—2004. ante paeonem est, tamen, si Serenus omnes versus ad istud exemplum fecisset, non est verisimile id metricos ita latuisse, ut nec Terentianus v. 1996. 1998. scribere

vel si ponitur unus alius,
talia docta Falisca legimus,

nec Servius hoc exemplum ponere dubitaverit:

docta Falisca, Serene, reparas.

§. 535.

Eadem ratione in anapaesticis numeris utuntur. Eurip. Androm. 1184. 1197.

Σιμοεντίδα παρ' ἀκτάν.
βροτὸς εἰς θεὸν ἀνάψαι.

§. 536.

Alterum genus numerorum concretorum, quod commemoratione dignum est, in epitritis secundis cernitur, qui vulgo in trochaicis metris numerari solent. Dictum de his in diss. de metrorum quorumdam mensura rhythmica, quae etiam libello de metris Pindari in repetita editione Heyniana inserta est. Hos epitritos non esse dipodias trochaicas, non solum ex eo apertum est, quod spondeus, quo finiuntur, legitimus pes est, sed postulat id omnis carminum, in quibus usurpantur, conformatio, quaet rochaici numeri levitatem plane adspernatur, confirmatque rem harmonia Dorica, quam iis adhibitam esse ex Pindaro constat.

§. 537.

Et quoniam hic numerus ex trochaeo et spondeo in unum ordinem coniunctis factus est, quorum spondeus, ut maior pes, nova vi arseos adiuvandus est, apparet, fortiorem esse secundam arsin epitriti, quae propterea etiam proprio ictu notatur:

–́ ⏑ –́ –

quod contra in dipodia trochaica fortior est prima arsis, quia alter quoque pes pro trochaeo numeratur:

–́ ⏑ – ⏓

Omninoque, quum musici veteres numerum epitritum improbaverint, non incredibile est, mensuram spondei qui in his epitritis est, plura quam quattuor tempora habuisse.

§. 538.

Hinc explicandum videtur, quod spondeus iste solutionem quae in trochaeo qui praecedit saepius invenitur, aut non admittit, aut rarissime:

´ ◡◡´–
◡◡

Vnicum apud Pindarum exemplum est in Isthm. II. epodis:

πέμπεν ἀναδεῖσθαι σελίνων.
οὔτε μελικόμπων ἀοιδᾶν.
ξεῖνον ἐμὸν ἠθαῖον ἔλθῃς.

Dubitari tamen de eo potest, quia in prima epodo libri omnes *ἀνδεῖσθαι* habent poteratque poeta in secunda *οὐ μελιφθόγγων ἀοιδᾶν*, in tertia *ἐμὸν ξεῖνον εὖτ' ἠθαῖον ἔλθῃς* scribere.

§. 539.

Vltima epitriti syllaba non aliter anceps est, i. e. brevem pro longa admittit, quam aut numero alio sequente, ut dactylico, vel Cretico, ut apud Pindarum Ol. VI. 30. XI. 16.

ἀνδρὶ κώμου δεσπότᾳ πάρεστι Συρακοσίῳ.
ἔνθα συγκωμάξατ'· ἐγγυάσομαι.

aut membro alio ex epitritis facto. Quare emendatione indigere videtur secundae strophae primus versus in Pind. Isthm. III.

ἔστι μοι θεῶν ἕκατι μυρία παντᾶ κέλευθος.

§. 540.

Plerumque duo, sed saepe etiam tres epitriti uno membro comprehenduntur, ut in Pind. Ol. III.

Δωρίῳ φωνὰν ἐναρμόξαι πεδίλῳ.

§. 541.

Syllaba anceps quoniam in mediis membris epitritorum admitti non potest, videndum, sicubi invenitur, ne aut scriptura

vitiata sit, aut membra non recte descripta. Sic in Isthm. IV. quod vulgo quintum carmen numeratur, de quo infra dicetur:

μᾶτερ Ἀλίου, πολυώνυμε Θεία,
σέο ἕκατι καὶ μεγασθενῆ νόμισαν.

De hac re pluribus dictum in diss. de mens. rhythm. et in Elem. d. m. p. 650. seq.

§. 542.

Fiunt hi numeri etiam cum anacrusi iambica, quae plerumque longam syllabam habet, ut aptiorem tam gravi numero. Pind. Ol. III.

Αἰνησιδάμου παιδὶ συμμῖξαι πρεπόντως.

§. 543.

Consociantur hi epitriti fere cum dactylicis numeris, aptam membrorum longitudinem habentibus, et aut in syllabam, aut in disyllabum catalecticis. Huius generis quosdam versus Hephaestio male in asynartetis posuit. Hi sunt primo versus **encomiologicus**, quem ille ex quinque dactylicis totidemque iambicis semipedibus compositum putat:

–́⏑⏑–⏑⏑– | ⏑–́⏑–⏑

sed est hic versus ita potius metiendus, ut ap. Pind. Ol. III. 25.

–́⏑⏑–⏑⏑–⏓ | –́⏑–́–
Ἴστρου ἀπὸ σκιαρᾶν παγᾶν ἔνεικεν.

§. 544.

Deinde qui **iambelegus** vocatur:

⏓–́⏑–́– | –́⏑⏑–⏑⏑–
πρῶτον μὲν εὔβουλον Θέμιν οὐρανίαν.
κείνων λυθέντων σαῖς ὑπὸ χερσὶν, ἄναξ.

§. 545.

Porro versus **Platonicus**, ex his membris:

´∪∪–∪∪–⏓ | ´∪´– | ´∪∪–∪∪–

χαῖρε παλαιογόνων ἀνδρῶν θεατῶν ξύλλογε παντο-σόφων.

§. 546.

Denique **Pindaricus** versus:

⏓´∪´– | ´∪∪–∪∪–⏓ | ´∪´–

ὃς καὶ τυπεὶς ἁγνῷ πελέκει τέκετο ξανθὰν Ἀθάναν.
σοφοὶ δὲ καὶ τὸ μηδὲν ἄγαν ἔπος αἴνησαν περισσῶς.

§. 547.

Vsi sunt his epitritis, quorum gravitas fere semper dactylico numero temperatur, augeturque interdum trochaeo semanto, de quo infra §. 563. seq. lyrici maxime ii, qui gravissimum et splendidissimum genus lyricae poeseos coluerunt, ut Pindarus et Simonides. Vide §. 599. Rarius tragici, quod hi numeri tranquilliorem et sedatiorem severitatem habent, quam quae plerumque in tragoedia requiritur. Rarius etiam comici usi sunt.

CAP. XII.

De compositione numerorum.

§. 548.

Omnis carminum condendorum ratio continetur **electione**, quae est in inveniendo genere numeri rei cuique apto, et **tractatione**, quae in apta horum generum conformatione et coniunctione versatur.

§. 549.

De electione multa et musici veteres, ut Aristides Quintilianus p. 97. seq. et rhetores disseruerunt. Ea non tam regulis quibusdam comprehendi possunt, quam sensu percipiuntur, unde infinita copia observationum colligi potest. Meminisse autem oportet, saepe idem genus numeri, prout aut ipsum aliter tractatur, aut aliis consociatur numeris, aliam et saepe contrariam naturam induere.

§. 550.

Tractatio partim in singulis numeris, partim in plurium numerorum coniunctione cernitur. In singulis numeris continetur terminatione, eaque et totius numeri et membrorum eius: tum mensurarum vicibus; denique licentiis quae sunt in caesurae observatione, in mutatione mensurae, in temperamento prosodiae. In plurium autem numerorum coniunctione tractatio versatur in congruentia numerorum, in nexu, in proportione, quae aut longitudinis est, aut ponderis.

§. 551.

Terminatio totius numeri, quoniam finis numeri cuiusque, resonantibus in aure aliquamdiu novissimis, iisque speciem totius numeri perficientibus sonis, distinctius exactiusque exauditur, praecipua cura indiget. Vnde non solum diligentissime mensura observari solet, sed multum etiam refert, quam numeri conformationem habeat terminatio. Elegantissima est terminatio, quae fit ordine catalectico, ut remissior in fine. Sed in trochaicis numeris, quod genus non est vehemens, etiam acatalectus ordo offensione caret. Vehementior dactylus est: unde rarior in hoc numero acatalecta terminatio. Multo vehementior paeon primus: quare hic nusquam finit versum. Magnam contentionem requirunt ordines hypercatalecti, ob eamque caussam valde rari sunt. Est etiam ubi

acatalectus ordo, quoniam qui praegressi sunt, magnam vehementiam habent, leniorem exitum, quam illi, licet catalectici sint, praebeat, suavior tamen et mollior, si alio modo remittatur, ut in his:

μηδὲν ἄλλο φυτεύσῃς πρότερον δένδρεον ἀμπέλω.
δεῦτε νυν, ἅβραὶ Χάριτες, καλλίκομοί τε Μοῖσαι.

§. 552.

In singulis partibus numeri, sive membris, terminatio caesuris apte constituendis variandisque continetur: de qua re in singulis versuum generibus dictum, maxime in trimetro iambico et versu heroico.

§. 553.

Mensurae conformatione quam diversa vis sit eiusdem numeri, in iisdem metris, tum etiam in anapaesticis significatum est. Pertinet huc etiam illud, quod elegantius in fine versus vox in longa syllaba requiescit, praesertim ubi numerus longam requirit, ut in pentametro elegiaco.

§. 554.

Licentiarum usus in caesurarum observatione vel neglectione, modoque mensurae versatur, quum alia argumenta minus severe custodiri caesuras, pedesque admitti irrationales patiantur, alia diligenter regulam observari postulent; tum etiam in prosodiae temperamento pro aetate, genere, argumentoque carminis.

§. 555.

Plurium numerorum coniunctio ita tractanda est, ut primo congruentia spectetur. Nam versus per se optimi si ita coniungantur, ut numeri non apte congruant, non videbuntur recte unum quoddam ac totum efficere. Vt haec stropha Alcaica, una syllaba addita, una dempta:

descende caelo, et dic, age, tibia
regina longum Calliopea melos,
seu voce nunc mavis acuta,
seu fidibus lyrave Phoebi.

§. 556.

Secunda pars tractationis in nexu numerorum posita est, qui gradu, modo, conversione differt.

§. 557.

Gradus nectendi tres sunt, consecutione, quum finis versuum finis est etiam numeri, quos versus non nexos vocamus: *ἀσυναρτησίᾳ*, quum modo perpetuatur, modo non perpetuatur numerus, qui sunt versus seminexi sive asynarteti; cohaerentia, quae *συνάφεια* a Graecis vocatur, quae perpetuato numero perfecta coniunctio est.

§. 558.

Modi nectendorum numerorum hi sunt: ex arsi in arsin, quae fortis et mascula coniunctio est; ex thesi in arsin, quae lenissima omnium et suavissima est; ex arsi in anacrusin, quae inter has media est; ex thesi in anacrusin, quae debilis et soluta est. De his v. infra cap. XVIII.

§. 559.

Conversio, quae a tragicis inventa videtur, usurpatur in systematis uno genere numeri decurrentibus, quorum in fine, abrupto numero, in alium et plerumque in oppositum transitur, et quidem aut ex arsi in arsin, aut ex thesi in anacrusin. Vt apud Eurip. Hec. 213.

τὸν ἐμὸν δὲ βίον, λώβαν λύμαν τ'
οὐ μετακλαίομαι· ἀλλὰ θανεῖν μοι
ξυντυχία κρείσσων ἐκύρησεν.

Et apud Aristoph. Nub. 288.

ἀλλ' ἀποσεισάμεναι νέφος ὄμβριον
ἀθανάτας ἰδέας, ἐπιδώμεθα
τηλεσκόπῳ ὄμματι γαῖαν.

V. Eurip. Orest. 1004.

§. 560.

Tertia pars tractationis in proportione versatur: quae aut longitudinis est, aut ponderis, omninoque melopoeiae.

§. 561.

Multum autem refert, quae sit membrorum versuumque longitudo, ne eiusmodi membra versusque coniungantur, quorum non apta sit inter ipsos comparatio. Quod quum in singulis versuum generibus observari potest, tum in plurium versuum coniunctione, maxime in strophis, quae ex epitritis et dactylicis membris constant. Eiusdem rationis est, quod clausulae in comicorum iambis trochaeisque nec brachycatalectae sunt, neque hypercatalectae. Verum ubi argumenti natura exigit, recte etiam diversissimae longitudinis membra copulantur: ut in Aeschyli Prom. 183.

πᾷ ποτὲ τῶνδε πόνων
χρή σε τέρμα κέλ-
σαντ' ἐςιδεῖν· ἀκίχητα γὰρ ἤθεα καὶ κέαρ ἀπαράμυθον
ἔχει Κρόνου παῖς.

§. 562.

De pondere cap. seq. seorsim dicetur. Sed ad melopoeiam pertinet et paracataloge de qua dictum. §§. 53. 268. et pausa, de qua §§. 52. et 599.

CAP. XIII.

De orthio, trochaeo semanto, paeone epibato.

§. 563.

Musici mensuram temporum subinde vel accelerabant, vel tardabant, quae ratio *ἀγωγὴ* vocabatur: unde idem pes alibi multo brevior, alibi multo tardior erat. Praeterea vero etiam mensuris utebantur pluribus quam metrici (v. §. 29.): in quo genere memorabiles sunt pedes orthius et trochaeus semantus, quorum uterque ex duabus partibus, una quattuor, altera octo temporum constabat, breviore parte in orthio praecedente, in trochaeo semanto sequente: unde hic, ut ipsum nomen indicat, trochaeo, ille autem iambo similis est.

§. 564.

Hos pedes etsi metrici, qui solam syllabarum mensuram respiciunt, nihil curant, tamen est ubi usurpatos eos esse ipsa versuum ratio monstret. Nam quum in quibusdam stropharum generibus unus duove spondei ita positi reperiantur, ut, si communem mensuram habeant, comparatio membrorum vel insolens, vel etiam inepta exsistat; quumque eos spondeos fere in vocabulis etiam ad sensum gravibus et magnam vim habentibus adhiberi videamus: consentaneum est, existimare, non esse eos vulgares spondeos quaternorum temporum, sed trochaeos semantos duodenorum, quibus ea membrorum proportio et comparatio restituitur, in qua nihil est, quod reprehendi possit. Inveni autem usque adhuc tantum quos trochaeos semantos, nondum quos orthios esse probabile videretur. Pind. Pyth. I.

τᾶς ἀκούει-μὲν βάσις ἀγλαΐας-ἀρχά,
πείθον-ται δ' ἀοιδοὶ σάμασιν·

Aeschylus Eum. 322.

μᾶτερ, ἅ μ' ἔτικτες, ὦ-μᾶτερ.
Νύξ, ἀλαοῖσι καὶ δεδορκόσιν-ποινάν.

Qui paeon epibatus a musicis vocatur utrum duorum an plurium temporum syllabas habeat, non est traditum. De eo Aristides Quintilianus p. 38. παίων ἐπιβατὸς, ἐκ μακρᾶς θέσεως καὶ μακρᾶς ἄρσεως, καὶ δύο μακρῶν θέσεων καὶ μακρᾶς ἄρσεως. Et pag. 98. τούτων δ' ὁ ἐπιβατὸς κεκίνηται μᾶλλον, συνταράττων μὲν τῇ διπλῇ θέσει τὴν ψυχὴν· ἐς ὕψος δὲ τῷ μεγέθει τῶν ἄρσεων τὴν διάνοιαν ἐξεγείρων. Eius mentio est apud Plutarchum de musica p. 1141. A. 1143. B. Fortasse hoc numero est apud Sophoclem in Antigona 1121. 1132.

Δηοῦς ἐν κόλποις.
κισσήρεις ὄχθαι.

Sex longae syllabae coniunctae sunt apud Pindarum Ol. IV. 4.

ξείνων δ' εὖ πρασσόντων.
εἴη λοιπαῖς εὐχαῖς.

CAP. XIV.

De strophis.

§. 565.

Versuum, systematum, stropharum definitiones metrici eas posuerunt, quibus perturbari magis et confundi notiones, quam explicari atque distingui necesse sit. Quare nos aliis definitionibus utimur. Versus est numerus unus et integer, qui uno spiritu pronuntiari potest.

§. 566.

Versus aut nexi sunt, quorum plures una perpetuitate numeri cohaerent: aut non nexi, qui inter se pausa vel silentio discreti sunt; aut seminexi, quorum plures, ut libitum est, vel continuato vel per pausam interrupto numero continentur: qui vocantur etiam asynarteti.

§. 567.

Systema est numerus perpetuus e versibus nexis cohaerens.

§. 568.

Stropha est numerus e versibus utcumque consociatis compositus.

§. 569.

Commune itaque systematis et strophae est, quod ex pluribus versibus constant; propria sunt, quod in systemate versus nexi sunt, unaque perpetuitate numeri cohaerent; in stropha autem non est necessarium, ut nexi sint, sed et nexi et non nexi et seminexi, et partim nexi, partim non nexi, partim seminexi esse possunt. Quod si omnes una perpetuitate nexi sunt, stropha uno systemate constat, et non differt a systemate. Indidem sequitur, ut stropha plura systemata continere possit, non etiam systema plures strophas.

§. 570.

Praeceptum Hephaestionis p. 14 (26). *πᾶν μέτρον εἰς τελείαν περατοῦται λέξιν*, spectat ad versus non nexos, quorum in fine, quia ibi pausa fit, etiam vocabulum finiri oportet; non ad versus nexos, per quos idem perpetuatur numerus; neque ad seminexos, quoniam in his ut possit cum versu finiri numerus, tamen non necessario finitur. Ita-

que et stropham omnem et systema omne integra voce finiendum est: sed qui systemate continentur versus, non opus est ut integra voce finiantur; qui stropha continentur, tum demum, si non nexi sunt, cum ipsa voce finiri debent.

CAP. XV.

De generibus stropharum.

§. 571.

Stropharum genera sunt quattuor. Veteres, non numeratis epodis, duo ponunt, ut Dionys. Hal. de comp. verb. c. 19. Corruptissimus locus in fragm. cum Censorino edi solito c. 9. p. 140. ita emendandus videtur: *Archilochus etiam commata versibus applicando variavit epodis: per plurimas species secuit Alcman numeros et imminuit: carmen hinc poeticae melicae: ac Telesilla etiam Argiva minutiores edidit numeros: quae species quum iam displiceret et integra brevior videretur, magnitudine Pindari adserta est, qui etiam liberis numeris modos edidit.*

§. 572.

Primum et antiquissimum genus stropharum ex duobus versibus constabat, uno longiore, altero breviore: qui appellati sunt epodi, Graeci ἐπῳδοὶ genere masculino, quo nomine proprie secundus versus designabatur. Horum antiquissimum est carmen elegiacum, sive elegi. Alios deinde versus hunc in modum copulavit Archilochus, nunc duos simplices versus coniungens, ut,

πάτερ Λυκάμβα, ποῖον ἐφρύσω τόδε;
τίς σὰς παρήειρεν φρένας;

nunc vel priorem faciens asynartetum, ut,

τοῖος γὰρ φιλότητος ἔρως ὑπὸ καρδίην ἐλιχθεὶς
πολλὴν κάτ' ἀχλὺν ὀμμάτων ἔχευεν·

vel posteriorem, quod imitatus est Horatius:

*horrida tempestas caelum contraxit, et imbres
nivesque deducunt Iovem: nunc mare, nunc
siluae;*

nunc utrumque, quod fecit Simonides:

πολλάκι δὴ φυλῆς Ἀκαμαντίδος ἐν χοροῖσιν Ὧραι
ἀνωλόλυξαν κισσοφόροις ἐπὶ διθυράμβοις.

Et ut minor versus praecederet, quod quum fit, προῳδὸς ille genere masculino dicitur:

*Petti, nihil me, sicut antea, iuvat
scribere versiculos amore percussum gravi.*

§. 573.

Propius ad eas, quae vulgo strophae appellantur, accedit trium non nexorum versuum consociatio, ut in hoc Theocriti:

Ἀρχίλοχον καὶ στᾶθι καὶ εἴςιδε τὸν πάλαι ποιητὰν
τὸν τῶν ἰάμβων, οὗ τὸ μυρίον κλέος
διῆλθε κἠπὶ νύκτα καὶ πρὸς ἀῶ.

Ad quem modum etiam longioribus strophis luserunt poetae quidam, syringis, arae, securis, alae, ovi speciem exprimentes. V. Anthol. vol II. p. 603. ed. Iacobsii sec.

§. 574.


Secundum genus stropharum illud est, quo Aeolenses poetae, Alcaeus, Sappho, et ex Ionicis Anacreon, usi sunt, quod breve est, et fere ex quattuor versibus, numero similibus, compositum. V. Dionys. Hal. de comp. verb. c. 19. p. 262. Carmina horum poetarum fere monostrophica sunt, i. e. eamdem semper stropham repetitam habent.

Ad ea pertinent etiam, quorum strophae factae sunt κατὰ περικοπὴν ἀνομοιομερῆ, cuiusmodi exemplum vide §. 580. Epodis, quae feminino genere dicuntur, de quibus infra §. 576., raro hi quidem poetae, eodem Dionysio teste, usi sunt. An etiam carmina fecerint κατὰ στίχον, i. e. uno genere versus repetito, et non in strophas disposito, dubium est. Nam Hephaestio p. 65 (117). secundum et tertium librum Sapphus et κατὰ στίχον et κατὰ σύστημα posse factum esse scribit, prouti quis casu aut consilio numerum versuum nusquam imparem inveniri credat: in antiquis libris autem binos semper esse coniunctos. Tale est, quod inter Theocritea habemus, XXIX. Quamquam nulla κατὰ στίχον ab lyricis facta esse carmina prorsus incredibile est. Cuiusmodi fuisse, quae Phalaeceis hendecasyllabis aliisve similibus metris scripta sunt, vel Latinorum poetarum, ut Catulli, exempla docent. Fuit fortasse ex eo genere illud, quod in Theocriteis est XXVIII.

γλαυκᾶς, ὦ φιλέριϑ' ἀλακάτα, δῶρον Ἀϑανάας,

quod ex 25. versibus constat, nisi forte id singulari artificio παλινῳδικὸν est. Nam si sententiarum ratio spectatur, modo bini, modo terni versus cohaerent, idque certo ordine, hoc modo:

2. 2. 3. 2. 2. 3. 2. 2. 3. 2. 2.



§. 575.

Tertium genus stropharum iam et numerorum varietatem maiorem et artificiosiorem compositionem habuit, pluribus, quam ante solitum erat, versibus una stropha coniunctis: quod genus excoluerunt Alcman, Stesichorus, de quo v. §. 576., Ibycus.

§. 576.

Quartum denique genus eas complectitur strophas, in quibus, quod a choris canebantur, summa et metrorum et modorum musicorum ars et varietas adhibebatur. Quales sunt Pindari, Simonidis, Bacchylidis, tragicorumque strophae. Et lyrici quidem etsi etiam monostrophica carmina faciebant, i. e. in quibus eadem semper stropha repeteretur, tamen plerumque epodis, quae feminino genere dicuntur, usi sunt, duas strophas iisdem metris, tertiam aliis facientes, easque vicissitudines iisdem metris per totum carmen servantes, hoc modo. *A. A. B. A. A. B.* Invenisse hanc rationem dicitur Stesichorus: unde *τὰ τρία Στησιχόρου* in proverbium venere. Ac Suidas: *ἐπῳδικὴ γὰρ πᾶσα ἡ τοῦ Στησιχόρου ποίησις.* Tragici epodis rarius usi sunt, et fere tantum in fine carminis una: iidemque non nisi duas strophas iisdem metris facere solent, exempli caussa hoc modo: *Α. Α. Β. Β. Γ. Γ. Δ. Δ. Ε.*

CAP. XVI.

De strophis primi et secundi generis.

§. 577.

Antiquissimi lyricorum poetarum, nisi forte etiam *κατὰ στίχον* carmina condiderunt, strophas faciebant ex versibus aut idem aut simile metrum habentibus.

§. 578.

Aliae harum stropharum plane ex eiusdem versus repetitione constant, ita ut, si metrum dumtaxat spectetur, *κατὰ στίχον* composita videri possint carmina. Eiusmodi sunt nonnulla in Anacreonteis carmina, in quibus aequalis distributio

versuum, aut verborum eorumdem repetitio stropharum indicia suppeditat. Vt in carm. XXXIX. cuius strophae, quae ex quaternis versibus constant, omnes hoc versu incipiunt.

ὅτ' ἐγὼ πίω τὸν οἶνον.

Hoc genus imitati sunt poetae bucolici, de quibus dicetur §. 596. Horatii carmina, quae illum omnia ad Graecorum exempla composuisse constat, magnam partem aut *κατὰ στίχον* facta esse, aut strophas ex duobus versibus constantes habere putabantur. Sed quum non videretur casu factum esse, ut, praeter III. 12. quod est *ἐξ ὁμοίων* imitatione Alcaei factum, omnia in quaternos versus dividi possent, primus A. Meinekius ea sic descripsit. Idque eum recte fecisse puto. Nullum est enim, quod eam divisionem repudiet, quaedam autem valde confirmant, ut I. 13. 19. III. 28. IV. 7. maximeque omnium III. 9. ipsumque primi libri carmen primum, quod, ut in dissertatione ostendi, quam de eo carmine scripsi, recisis primis duobus duobusque ultimis versibus non modo elegantissimum est, sed etiam strophas quaternum versuum recte distinctas habet, ita ut nesciam an primitus sine duobus istis distichis conditum fuerit. Aperte vitiatum est IV. 8. in quo non dubito quin recte Hofmannus Peerlkamp eiectis versibus 14—17. coniunxerit haec:

non incisa notis marmora publicis
eius, qui domita nomen ab Africa
lucratus rediit, clarius indicant,
laudes, quam Calabrae Pierides.

Nam quum *incisa notis marmora publicis* non possit nisi de titulo lapidi inscripto dictum esse, prorsus ineptum est quod in libris sequitur, *per quae spiritus et vita redit bonis post mortem ducibus:* quod hic ne de statua quidem recte praedicari poterat, sed dicendum erat de carminibus. Ex quo nascitur suspicio, quum lacerato antiquissimo libro reliqua essent haec verba, *per quae spiritus et vita redit bonis post mortem*, infelici successu lacunas ab imperito correctore

esse expletas. Recte enim apteque illam quam posui stropham haec excipiet:

neque,
si chartae sileant quod bene feceris
per quae spiritus et vita redit bonis
post mortem, ...
mercedem tuleris.

§. 579.

Aliae strophae ex eodem numero per systema continuato constant, ita ut tota stropha unum systema sit, quod ἐξ ὁμοίων vocant metrici. Sic Horatius III. 12. in illo,

miserarum est neque amori,

Alcaei exemplo decem pedes Ionicos una stropha comprehendit. Imitati sunt hoc tragici, sed fere in fine variato numero, quo facilius termini stropharum apparerent, ut Aeschylus in Persis 81. seqq. in Suppl. 1025. seqq.

§. 580.

Aliae strophae ex pluribus systematis constant, ut apud Anacreontem:

γουνοῦμαί σ', ἐλαφηβόλε,
ξανθὴ παῖ Διός, ἀγρίων
δέσποιν' Ἄρτεμι θηρῶν.
ἵκου νῦν ἐπὶ Ληθαίου
δίνησιν, θρασυκαρδίων δ'
ἀνδρῶν ἐγκαθόρα πόλιν
χαίρουσ'· οὐ γὰρ ἀνημέρους
ποιμαίνεις πολιήτας.

§. 581.

Aliae ex versibus non nexis, numerum habentibus eumdem, sed magnitudine vel forma diversis fiebant, ut haec:

quem tu, Melpomene, semel
nascentem placido lumine videris.
illum non labor Isthmius
clarabit pugilem, non equus impiger.

§. 582.

Aliae, eaque frequentissima ratio fuisse videtur, ex quaternis versibus, quorum aut tres aut duo eodem metro essent, componebantur, ut haec:

scriberis Vario fortis et hostium
victor Maeonii carminis alite,
quam rem cumque ferox navibus aut equis
miles te duce gesserit.

Vel,

quis multa gracilis te puer in rosa
perfusus liquidis urguet odoribus
grato, Pyrrha, sub antro?
cui flavam religas comam?

§. 583.

Ex his tres, quae maxime memorabiles sunt, commemorabimus. Primo Sapphicam stropham, quam Sappho ita composuit, ut huic versui,

–́⏑–⏓–́⏑⏑–⏑–⏓

ter repetito adiiceretur Adonius. Ac Sappho recte quum caesura, si qua opus est in tam brevi versu, in quarta syllaba facienda esset, et fecit hanc caesuram, et neglexit, syllabamque ipsam passa est ancipitem esse:

ποικιλόθρον' ἀθάνατ' Ἀφροδίτα,
παῖ Διὸς δολόπλοκε, λίσσομαί σε,
μή μ' ἄσαισι, μηδ' ἀνίαισι δάμνα,
πότνια, θυμόν.

Eiusque exemplum secutus est Catullus. Eadem, si verba duorum versuum arctius cohaererent, non dubitavit elisionem in fine facere, et tertium quartumque versum diviso vocabulo nectere, ut:

> ἀλλὰ κὰμ μὲν γλῶσσα ἔαγε, λεπτὸν δ'
> αὐτίκα χρῷ πῦρ ὑποδεδρόμακεν,
> ὀππάτεσσι δ' οὐδὲν ὄρημ', ἐπιῤῥόμ-
> βεῦσι δ' ἄκουαι.

Vtrumque fecit etiam Horatius, ut II. 2, 17. 16, 34. IV. 2, 22. et I. 2, 19. 25, 11. II. 16, 7. III. 27, 26. IV. 2, 23. carm. saec. 47.

§. 584.

Sed hic sibi, partim ut magis masculos redderet numeros, partim sermonis Latini commoditate adductus, severam fecit legem, ut longiores versus semper ab epitrito secundo inciperet, caesuram autem faceret in prima dactyli, interdum etiam in eiusdem pedis secunda syllaba:

> *integer vitae-scelerisque purus:*
> *Mercuri facunde-nepos Atlantis.*

Et hac caesura quidem quae in sexta syllaba est, in quarto libro saepissime eum usum videmus, quum eam in prioribus libris raro admisisset.

§. 585.

In tragoediis Senecae adscriptis etiam strophae ex pluribus quam tribus Sapphicis versibus, ut ex octonis subiecto deinde Adonio, inveniuntur. Sed hi parum commendandi lusus sunt.

§. 586.

Secunda, quam accuratius considerari oporteat, stropha Alcaica est. Eius duo primi versus hoc metro sunt:

> ⏓ – ́ ⏑ – ⏓ | – ́ ⏑ ⏑ – ⏑ ⏓

tertius hoc:

⏑–́⏑–⏒ | –́⏑–⏒

quartus hoc:

–́⏑⏑–⏑⏑–⏑–⏒.

Nam elementa totius compositionis sunt hi ordines,

–́⏑⏑–⏑⏑   –́⏑–⏑

qui variis modis inter se iuncti haec metra praebuerunt. Ex quo apparet, plane falli, qui duos priores versus in ordinem logaoedicum exire sibi persuaserunt, quo omnem venustatem numerorum perditum iri necesse foret. Et metrici quoque veteres consensu duobus dactylis terminari hos versus tradiderunt.

§. 587.

Caesura ne hi quidem versus indigebant, sed si qua facienda erat, conveniebat in fine ordinum eam esse. Fecit caesuram neglexitque Alcaeus:

ὕει μὲν ὁ Ζεύς, ἐν δ' ὀρανῷ μέγας
χειμών· πεπάγασιν δ' ὑδάτων ῥοαί.

Horatius strenue in primis duobus versibus caesuram observavit, curans ille etiam, ut ea semper in longa syllaba fieret. Raro in voce composita migravit caesuram:

hostile aratrum exercitus insolens.

v. I. 16, 21. 37, 5. II. 17, 21.; semel in non composita, IV. 14, 17.

spectandus in certamine Martio:

et fortasse I. 37, 14.

mentemque lymphatam Mareotico.

nisi *a Mareotico* scripsit.

§. 588.

Idem etiam in tertio versu quintam syllabam constanter longam servavit, plerumque in sexta huius versus syllaba, aut in septima incidens, ut,

deprome quadrimum-Sabina,
sedes Atlanteusque-finis,

sed saepe tamen etiam in ipso ordinis prioris fine, ut,

deproeliantes, -nec cupressi;

raro, quia durius hoc est, in quarta syllaba verbum finiens, ut,

hunc Lesbio-sacrare plectro.

Sed hoc quidem a Graeco vocabulo excusationem habet. Quorum nihil curavit Alcaeus: ut

ὦ Βύκχι, φάρμακον δ' ἄριστον.
μέλιχρον· αὐτὰρ ἀμφὶ κόρσᾳ.

§. 589.

Anacrusin Horatius in tribus prioribus versibus fere semper longam habet; raro autem brevem, ut in hoc,

vides, ut alta stet nive candidum.
puer quis ex aula capillis

I. 29, 7. de quo versu prorsus mira disputavit Fr. Lindemannus in Friedemanni Miscell. crit. IV. p. 743. Alcaeus et anacrusin saepissime, et quintam syllabam brevem posuit:

προκόψομες γὰρ οὐδὲν ἀσάμενοι.

§. 590.

Quoniam et versus ipsi harum stropharum non longi sunt, et proinde oratio plerumque arctius coniungi plures versus postulat, raro fines et initia versus apud Horatium hiatum faciunt, ut II. 13, 7.

et penetralia
sparsisse nocturno cruore
hospitis,

ubi haud paullo elegantius scripsisset *et penetralibus sparsisse nocturnos cruores hospitis;* sed tertius et quartus versus per elisionem potius, Alcaei exemplo, nonnumquam copulantur, ut II. 3, 27. III. 29, 35.

sors exitura, et nos in aeternum
exsilium impositura cymbae.
cum pace delabentis Etruscum
in mare, nunc lapides adesos.

Vltimam vero strophae syllabam in primam sequentis strophae non recte quis elidat, nisi verba arctissime cohaereant. Nam II. 13, 7.

hospitis: ille venena Colchica,
et quidquid usquam concipitur nefas,

recte correxit Bentleius, *Colcha* scribens.

§. 591.

Ceterum, ut in omni genere versuum, curandum ut et durior, et nimis debilis verborum collocatio vitetur; durior, ut si in uno ex primis duobus versibus vox monosyllaba in caesura est: III. 29, 27.

non est meum, si mugiat Africis;

nimis debilis, ut si quis in ultimo versu duo verba amphibrachum praebentia ponat,

ora carere cruore nostro.

§. 592.

Tertia est stropha, quae apud solos Graecos invenitur, ut multis in scoliis apud Athenaeum XV. p. 694. et apud Aristophanem in Eccles. 938. seqq. Eius duo priores versus sunt Phalaecei hendecasyllabi:

∴ ∴ | ⏑́⏑⏑–⏑–⏑–⏑

in basi non admisso, ut videtur, pyrrhichio. Tertius hoc metrum habet:

⏑⏑⏑́⏑–⏑́⏑⏑–

Quartus hoc:

⏑́⏑⏑–⏑–⏑́⏑⏑–⏑–

Πλούτου μητέρ', Ὀλυμπίαν ἀείδω
Δήμητραν, στεφανηφόροις ἐν ὥραις·
σέ τε, παῖ Διός, Περσεφόνη·
χαίρετον, εὖ δὲ τήνδ' ἀμφέπετον πόλιν.

CAP. XVIII.

De strophis tertii et quarti generis.

§. 593.

Tertium et quartum genus stropharum eas continet, quibus liberior iam atque altius assurgens poesis lyrica et longioribus et maiore numerorum vi ac varietate distinctis usa est. Ac tertium genus, usurpatum illud ex parte saltem, ut videtur, in carminibus monostrophicis, eorum poetarum est, qui mediae aetatis lyrici fuerunt, Alcmanis, Stesichori, Ibyci. Horum strophae iam versibus constabant pluribus, quam Sapphus, Alcaei, Anacreontis, Corinnae, numerosque habebant magnam partem dactylicos, eosque valde longos, quorum exempla vide §. 301. seqq. et integrae strophae §. 305.

§. 594.

Aliud exemplum strophae ab Alcmane usurpatae hoc est, totum ex numeris dactylicis compositum, fragm. p. 38. ex Athenaeo X. p. 416. C.

καί ποκά τοι δώσω τρίποδος κύτος,
ᾧ κ' ἔνι λεια . . . . ἀγείρῃς.
ἀλλ' ἔτι νῦν γ' ἄπυρος· τάχα δὲ πλέος
ἔτνεος, οἷον ὁ παμφάγος Ἀλκμὰν
ἠράσθη χλιερὸν πέδα τὰς τροπάς.
οὔτι γὰρ οὐ τὸ τετυγμένον ἔσθει,
ἀλλὰ τὰ κοινὰ γάρ, ὥςπερ ὁ δᾶμος
ζατεύει.

Quae stropha utrum ex septem versibus constiterit, ita ut verbo *ζατεύει* alia stropha incipiat, an octo habuerit versus, quorum octavus esset heroicus, incertum est, siquidem in alio huius carminis metrive fragmento ultimus ille versus aeque hexameter esse, ac tetrameter cum parte sequentis catalectici potest. Id fragmentum invenitur p. 44. ex Athenaeo XI. p. 498. F.

πολλάκι δ' ἐν κορυφαῖς ὀρέων, ὅκα
θεοῖσιν ἅδῃ πολύφανος ἑορτά,
χρύσεον ἄγγος ἔχοισα, μέγαν σκύφον,
οἷά τε ποιμένες ἄνδρες ἔχουσιν,
χερσὶ λεόντεον ἐν γάλα θεῖσα,
τυρὸν ἐτύρησας μέγαν ἄτρυφον ἀργύφεόν τε.

Vtrumque fragmentum sic emendatum dedi in Diar. litt. Ienens. 1816. m. August. n. 155.

§. 595.

Alcmanem Hephaestio p. 74 (134). etiam carmina ex quattuordecim strophis scripsisse ait, quarum septem posteriores alio metro essent, quam priores.

§. 596.

Simili modo poetae bucolici, metrum quidem illi idem servantes, sed variantes in longitudine stropharum, aliquot strophis ex certo versuum numero compositis alias ex pluribus vel paucioribus versibus factas subiiciunt, quae nunc versu

intercalari, qui vocatur, ut in primo et secundo Theocriti carmine, nunc etiam fine orationis, ut in tertio, distinguuntur. Sic in secundo carmine octo strophas quinque versuum sequuntur tredecim strophae sex versuum. Magis variat numerus versuum in primo carmine, turbatus ille, ut videtur, in quibusdam strophis librariorum culpa. In tertio carmine autem quae caprarius canit a v. 6. primo quattuor strophis ex duobus versibus procedunt; deinde sequuntur decem strophae ex tribus versibus. Nam versus 24. extra carmen, pausa canendi facta, recitatur.

§. 597.

Quartum genus stropharum illud est quo perfectissima poesis lyrica et tragoedia ad graviores vehementioresque animi motus exprimendos usa est. Id numeros partim granditate severos et magnificos, partim varietate inaequabiles et rapidos habet: cuiusmodi strophae ob easdem caussas ipsae quoque plerumque longiores sunt. Cernitur autem et granditas et varietas tum in natura numerorum: nam aut tardi severique sunt, aut concitati et alacres; tum in comparationibus eorum: nam aut aequali proportione divisi sunt, aut brevia membra longis miscentur.

§. 598.

Quoniam longiores esse hae strophae solent, etiam partes earum fere longiores sunt, et non tam versibus, quam systematis varios numeros habentibus constant.

§. 599.

Strophae numeris graves, comparatione membrorum aequabiles, fere ex epitritis constant, dactylico numero temperatis, et Cretico, admissis etiam quibusdam trochaeorum iamborumque et antispasticis formis, tum etiam trochaeo semanto. Harmoniam hae strophae habuerunt Doricam. Vnde Doricas strophas vocamus. Pind. Pyth. I.

χρυσέα φόρ-μιγξ, Ἀπόλλω-
νος καὶ ἰοπλοκάμων
σύνδικον Μοι-σᾶν κτέανον,
τᾶς ἀκούει-μὲν βάσις, ἀγλαΐας-ἀρχά,
πείθον-ται δ' ἀοιδοὶ-σάμασιν,
ἁγησιχόρων ὁπόταν προ-οιμίων
ἀμβολὰς τεύ-χῃς ἐλελιζομένα,
καὶ τὸν αἰχμα-τὰν κεραυνὸν-σβεννύεις
ἀενάου πυρός, εὕ-δει δ' ἀνὰ σκά-
πτῳ Διὸς αἰετός, ὠκεῖ-
αν πτέρυγ' ἀμφοτέρω-θεν χαλάξαις.

Tragicorum proprium est has strophas finire versu ithyphallico, quem non iuveni in lyricorum strophis Doricis. Aeschylus Prom. 533.

μηδ' ἀλίτοιμι λόγοις· μάλα μοι τόδ' ἐμμένοι καὶ
μήποτ' ἐκτακείη.

Euripides Med. 419.

οὐκέτι δυςκέλαδος φά-
μα γυναῖκας ἕξει.

Et in eadem fabula v. 634. 989.

Quemadmodum ubique apud Pindarum, atque, ut credi par est, apud ceteros quoque lyricos longae syllabae in duas breves solutio, breviumque in longam contractio non est nisi in nominibus propriis concessa, sic etiam in strophis Doricis haec lex observatur. Quare Pyth. V. 2. IX. 44. Isthm. V (VI). 10. 23. emendatione indigent. In Nem. V. antistropha prima et Isthm. III. epodo quarta sublatum est vitium scribendo:

Ἐνδᾶδος ἀρίγνωτες υἱοί,
ναὸν Ποσειδᾶνός σφ' ἐρέπτοντα σχέθοι.

Spondei epitritorum prima longa, cuius solutae mentio facta est §. 538., uno tantum in carmine admissa est, Isthm.

II. in fine epodorum. Quamquam, quum in prima epodo libri omnes habeant

πέμπεν ἀνδεῖσθαι σελίνων,

ubi critici *ἀναδεῖσθαι* scripserunt, quumque omnino Isthmiorum carminum minus certae scripturae sint, dubitari potest, utrum, quod sane facillimum est, *ἀναδεῖσθαι* praeferendum sit, an mutatum aliquid fuerit in reliquis duabus epodis, siquidem in secunda scribi potuerat *οὐ μελιφθόγγων ἀοιδᾶν*, in tertia autem *ἐμὸν ξεῖνον εὖτ' ἠθαῖον ἔλθῃς.*

Anceps est altera longa epitritorum tantum ubi aut dactyli, aut choriambus, aut Creticus sequuntur: vide §. 539. et dissertationem de metrorum quorumdam mensura rhythmica in Opusc. vol. II. p. 111. tum etiam in nomine proprio, ut in Isthm. II. epod. 4. V. stroph. 4. Corrigenda sunt Ol. VII. 2. ubi *ἀμπέλου ἔνδον* vera scriptura est; XI. 4. ubi *σὺν μόχθῳ*; XII. 6. ubi *ταὶ δ' αὖ κάτω*; Nem. V. 25. ubi *ἐν δίκᾳ τ' οὐ μὴ κεκινδυνευμένον*; IX. 75. ubi *ἔν τοι τίν κεν*; 111. ubi *οὐκ ἔστιν τὸ πόρσω*; Isthm. V (VI). 52. ubi *κάρυσσε* scribendum. Isthm. III. (IV. 1.) etiam ordo verborum mutandus est:

ἔστι τοί μοι μυρία παντᾶ κέλευθος θεῶν ἕκατι.

Non est huc referendus primus stropharum versus in Nem. X. qui ex his videtur membris compositus esse:

⏑⏑–́⏑⏑–⏑–⏓ | –́⏑–́– | –́⏑⏑–⏑⏑–

Δαναοῦ πόλιν ἀγλαοθρόνων τε πεντήκοντα κορᾶν, Χάριτες.

Neque Isthm. IV (V). stropharum versus secundus, qui singulari ratione ex ordine trochaico et choriambo videtur factus esse:

⏑́⏑⏑–⏑–⏑–⏓–́⏑⏑–

σέο γ' ἕκατι καὶ μεγασθενῆ νομίσαν,

ut versus 29. 64. sic scribendi videantur:

> *θεοδότων κέλευθον ἔργων ἂν καθαράν,*
> *ἰσάριθμ᾽ ἀνέρων χαλαζάεντι φόνῳ,*

initium tertiae strophae autem v. 55. 56. sic:

> *τοῖσιν Αἴγιναν προφέρει στόμα νᾶσον*
> *διαπρεπέα πάτραν-τετείχισται δὲ πάλαι.*

Trochaeus epitriti saepe in tribrachum mutatus invenitur, constanter in omnibus strophis servata hac mensura:

⏑́⏑⏑––

Dactylica membra plerumque duos dactylos habent. Itaque Ol. VI. secundus epodorum versus in duos dividendus est:

> *εἶπεν ἐν Θήβαισι τοιοῦτόν τι ἔπος·*
> *ποθέω στρατιᾶς ὀφθαλμὸν ἐμᾶς.*

Ac videtur etiam addito *ν* tertius dactylus tollendus esse in epodo Ol. XII.

> *ἀκλεὴς τιμὰ κατεφυλλορόησεν ποδῶν.*

Inveniuntur tamen tres deinceps dactyli Pyth. IV. bis in strophis, semel in epodis; Nem. I. semel in strophis, bis in epodis, V. in ultimo versu epodorum. Isthm. V. in strophis. Quin semel etiam quattuor dactylos coniunxit in strophis Pyth. III.

Semel etiam ab anapaestis exorsus paeonem immiscuit hoc numero, Ol. VII. in epodis

⏑⏑⏑́⏑⏑–⏑⏑⏑⏑́⏑⏑–⏑⏑––⏑́⏑⏑–⏑⏑–

> *Ῥόδον, εὐθυμάχαν ὄφρα πελώριον ἄνδρα παρ᾽ Ἀλφειῷ*
> *στεφανωσάμενον.*

Denique in his Doricis strophis non dubia etiam silentii exempla inveniuntur, non eius, quod Graeci musici *λεῖμμα* et *πρόσθεσιν* vocant, quod est tempus sono vacuum, sed illius, quo cantus interpellatur atque aliquantisper conti-

cescit, quod nostri *generalpause* appellant. Eius duo apud Pindarum luculenta habemus exempla, unum in prima syllaba epitriti, alterum in dactyli prima syllaba. Intolerabiles enim essent, planeque corrumperent Doricos numeros hi versus Ol. VI. et Pyth. IX.

βωμῷ τε μαντείῳ Διὸς ἐν Πίσᾳ,
σὺν βαθυζώνοισιν ἀγγέλλων,
––́⏑–́––́⏑⏑–⏑–
–́⏑–́––́⏑–́––

nisi silentio adhibito iusta ratio appareret. Versus enim isto modo distingui postulant syllabae ancipites, nisi, quod sane praestat, in medio versu silentium aliquo signo notare volumus. Olymp. VI. enim in stropharum versu quinto hic numerus est:

–́–́⏑–́– | –́⏑⏑–⏑⏑–⏑ | –́⏑–́– | –́⏑–́–

in Pyth. IX. stropharum secundo autem hic:

–́⏑–́– –́⏑–́– | –́⏑⏑–⏑ | –́⏑⏑–⏑⏑––

sed silentium fit his in locis:

––́⏑–́– –́⏑⏑–⏑⏑–⏑–́ | ⏑–́––́⏑–́–
–́⏑–́– –́⏑–́––́ | ⏑⏑–⏑–́⏑⏑–⏑⏑––

βωμῷ τε μαντείῳ ταμίας Διὸς ἐν Πίσᾳ | συνοικιστήρ τε τᾶν κλεινᾶν Συρακοσσᾶν, τίνα κεν φύγοι ὕμνον.
σὺν βαθυζώνοισιν ἀγγέλλων | Τελεσικράτη Χαρίτεσσι γεγωνεῖν.

§. 600.

Concitatiores autem strophae, membraque inaequalia habentes, multitudine brevium syllabarum insignes sunt, numerosque habent vel natura vel solutionibus celeriores, totaque compositione inaequabiles et rapidos. Quo in genere primas tenuere dithyrambi. Has strophas, quod fere Aeoliam harmoniam habuerunt, Aeolias vocamus. Pind. Pyth. II.

Μεγαλοπόλιες ὦ Συρακόσαι, βαθυπολέμου
τέμενος Ἄρεος, ἀν-δρῶν ἵππων τε σιδαροχαρμᾶν-δαιμό-
νιαι τροφοί·
ὔμμιν τόδε τᾶν λιπαρᾶν ἀπὸ Θη-βᾶν φέρων
μέλος ἔρχομαι ἀγγελίαν τετραορίας ἐλελίχθονος,
εὐάρματος Ἱέρων ἐν ᾇ κρατέων
τηλαυγέσιν ἀνέδησεν Ὀρτυγίαν στεφάνοις,
ποταμίας ἕδος Ἀρτέμιδος, ἇς-οὐκ ἄτερ
κείνας ἀγαναῖσιν ἐν-χερσὶ ποικιλανίους ἐδάμασσε πώλους.

§. 601.

Mediae inter has sunt eae strophae, quas ab Lydiis modis Lydias appellamus, neque gravitate tanta, quanta in Doricis est, nec motu illo insignes, qui est in Aeoliis. Vt Pind. Ol. V.

Ὑψηλᾶν ἀρετᾶν-καὶ στεφάνων ἄω-τὸν γλυκύν,
τῶν Οὐλυμπίᾳ, Ὠκεανοῦ θύγατερ,
καρδίᾳ γελανεῖ,
ἀκαμαντόποδός τ' ἀπήνας δέκευ,
Ψαύμιός τε δῶρα.

CAP. XVIII.

De stropharum in membra sua distributione.

§. 602.

Magnam saepe difficultatem habet distributio stropharum in membra sua, quia et ambigui quidam numeri sunt, et aliter atque aliter describi partes eorum possunt. Quo magis curandum, ut sciamus, quae in hoc genere tutissima via sit.

17

§. 603.

Ac primo videndum, ne *nota et usitata metra* delitescant. Sed quoniam multae metrorum formae nondum in lucem protractae sunt, augeri deinceps horum metrorum numerum necesse est, multaque metra olim in notis et usitatis habitum iri, quae hodie nondum satis cognita sunt.

§. 604.

Deinde attendendum ad *interpunctiones et fines sententiarum*. Consentaneum est enim, cum sententia verborum vel partibus eius plerumque etiam versuum fines convenire. Quamquam non ea est huius rei necessitas, ut non etiam in media sententia versus finiri possit. Quin interdum etiam virtus quaedam in eo est, si ultra metri terminos producta est oratio.

§. 605.

Apud poetas scenicos saepe etiam *mutatio personae*, ut quae cum pausa aliqua coniuncta esse soleat, index est versus finiti.

§. 606.

Porro etiam *finis vocabuli* indicio est versum finiri. Et systemata quidem ac strophas omnino integra voce terminari necesse est. Eademque regula observatur in versibus iis, quos non nexos nominavimus. Nisi quum breviores sunt, ut sine offensione, immo interdum etiam eleganter coniungi duo versus diviso vocabulo possint, ut in stropha Sapphica. Similiterque etiam in longioribus versibus est ubi vocabuli divisio, si vocabulum compositum est, et propterea facilius in duas partes distrahi potest, admittatur. Pindarus Ol. XIV.

πότνι᾽ Ἀγλαΐα, φιλησί-
μολπέ τ᾽ Εὐφροσύνα, θεῶν κρατίστου.

§. 607.

Diligenter etiam attendendum est ad syllabam brevem in fine versus positam. Nam quum ultima versuum syllaba etiam ibi, ubi natura brevis est, multo saepius longa, quam brevis esse soleat, de qua re dictum in praefat. ad Orphica p. 9., saepissime brevis syllaba indicium est numeri nondum finiti, sed longius progredientis. Quare si quis versus aeque in stropha atque in antistropha brevi syllaba finitur, plerumque continuatum cum sequentibus videmus numerum, nec finem versus eo loco constitui posse intelligimus, idque tanto certius, quo plures sunt strophae, ut apud Pindarum.

§. 608.

Non repugnant autem huic observationi ii versus, qui systematis comprehensi in brevem syllabam exeunt, ut dimetri dactylici, sed potius confirmant eam. Etenim hi terminantur quidem brevi syllaba, sed hanc ipsam ob caussam, quia numeri eorum cum sequentium versuum numeris una perpetuitate cohaerent.

§. 609.

Certissimum finiendi versus indicium praebet syllaba continuationem numeri impediens, quia haec uno numero finito alium incipere ostendit. Est autem syllaba continuationem mensurae impediens ea, quae aut hiatum habet, aut mensuram ancipitem. Sed et mensuras ancipites et hiatus tantummodo eos intelligi apertum est, qui in quoque genere illiciti habentur, de qua re in libro primo et in singulorum metrorum explicatione dictum est.

§. 610.

Cavendum vero, ne, quae diu obtinuit opinio, quoniam ultima versus cuiusque syllaba anceps censetur, etiam medias vocabulorum syllabas putemus ancipites esse, si sunt in arsi, aut si in thesi alia quam trochaica vel spondei epitritorum;

quod fieri nullo modo potest. Non enim alia, quam ultima vocabuli syllaba anceps numerari potest, id est, si natura vel positione longa est, ubi metrum brevem requirit, brevis; sin brevis natura est, ubi longam metrum postulat, longa. Eadem ratio est syllabae, quae finalis quidem est, sed in vocabulo, quod cum sequente voce ita cohaeret, ut cum ea pene unam vocem efficiat. Ita nemo non videt, male turbata iusta pronuntiatione apud Aristophanem Nub. 1349. vulgo legi:

ἀλλ' ἔσθ' ὅτῳ θρασύνεται· δῆλόν γε τὸ
λῆμ' ἐστὶ τἀνθρώπου.

Sic enim τὸ ut longa syllaba pronuntiandum, et pausa a nomine λῆμα, quocum pene unius vocis instar est, divellendum esset.

§. 611.

Omnia si paucis comprehendimus, in versibus **non nexis** et **seminexis**, sive **asynartetis**, regula haec est, **mensuram ancipitem in fine vocabuli** indicium finiti numeri esse **in arsi cuiuscumque numeri**, **in thesi** autem ea tantum, quae est ex **pluribus syllabis** vel **temporibus**.

Inachia furere - silvis honorem decutit,
levare diris pectora - sollicitudinibus.

καὶ βήσσας ὀρέων δυςπαιπάλους - οἷος ἦν ἐφ' ἥβης.

Nam in media voce servanda est iusta mensura:

τῶν ἐχορήγησεν κύκλον μελί-γηρυν Ἱππόνικος.

Temporum plurium theseos exempla sunt in epitritis Doriis, de quibus dictum §. 599. Et in Ionicis a minore, ut apud Aristoph. Vesp. 280.

τάχα δ' ἂν διὰ τὸν χθιζινον ἄνθρω-
πον, ὃς ἡμᾶς διεδύετ'.

§. 612.

Excipienda est arsis numeri dactylici, quae quum in quibusdam versibus suapte vi producat brevem syllabam, productio huiusmodi non est versus, sed membri eo loco finiti indicium.

§. 613.

Alia ratio est versuum nexorum, qui quoniam una perpetuitate numeri cohaerent, non ubi numerus finiatur (non finitur enim nisi cum ipso systemate), sed ubi partes eius disterminandae sint, quaeritur. Et primo quidem usus observandus est, qui diligenti notatione optimae membrorum divisionis colligitur. Vt ubi epitriti cum dactylicis numeris consociantur, veluti

–́⏑–́–́–́⏑–́–́–́⏑⏑–⏑⏑–

ita fere membra divisa esse intelligimus, ut, quae syllaba aut thesis finiens membrum, aut anacrusis membrum incipiens esse potest, thesis potius esse soleat,

–́⏑–́–́–́⏑–́– | –́⏑⏑–⏑⏑–

quam anacrusis,

–́⏑–́–́–́⏑– | ––́⏑⏑–⏑⏑–

§. 614.

Deinde etiam in versibus nexis mensura anceps finem membrorum indicat, sed tantum in thesi spondiaca epitritorum, et in thesi antispastica. Et in utraque quidem non solum in fine vocabuli, sed etiam in media voce. Pindarus Ol. VI. 30.

ἀνδρὶ κώμου δεσπότᾳ πάρ-εστι Συρακοσίῳ.

Aeschylus Pers. 282. 288.

ἔθεσαν, αἰαῖ, -στρατοῦ φθαρέντος.
ἔκτισαν εὔνι-δας ἠδ' ἀνάνδρους.

§. 615.

Magnum argumentum porro a divisione vocabulorum depromitur, cuius haec virtus est, ut numerum vocabuli salvum esse patiatur, quia sublato eo vel interrupto aut aliud aut duo vocabula exstitura essent.

§. 616.

Et quum in omni vocabulo aut arsis et thesis alternent, aut duae arses coniungantur, anacrusis autem non nisi in initio vocis locum habeat: apertum est, in universum hanc principalem esse regulam, ne, si fieri possit, anacrusis in media voce aut in fine eius constituatur. Potest autem anacrusis in media voce tribus modis constitui: aut post arsin:

1	⏑–́ | ⏑–́	*Ἀχαι-μένης*
2	⏑–́ | ––́	*Ἀρι-στείδης*
3	–⏑́⏑ | ⏑–́	*Ἀλκιβι-άδης*
4	–⏑́⏑ | ––́	*Βελλερο-φόντης*

aut post thesin:

5	–́⏑ | ⏑–́	*Ἀλκι-μέδων*
6	–́– | ⏑–́	*Ἀλκμα-νίδας*
7	–́⏑ | ––́	*Ἀρχι-μήδης*
8	–́– | ––́	*Εὐη-ρείδης*

aut post aliam anacrusin: nam initium vocabuli in thesi prioris versus collocatum, in ipso vocabulo anacrusis est:

9	⏑ | ⏑–́	*Τε-λαμών*
10	– | ⏑–́	*Σω-κράτης*
11	⏑ | ––́	*Ἀ-πόλλων*
12	– | ––́	*Εὐ-κλείδης*

13	∪∪ | ∪–́	*Ξενο-φάνης*
14	∪∪ | ––́	*Γανυ-μήδης*

In fine vocis autem tribus modis; post arsin:

15	–́ | ∪	*Προῖ-τος*
16	–́ | –	*Πη-λεύς*
17	–́ | ∪∪	*Μύρ-τιλος*
18	∪́∪ | ∪	*Φάλα-ρις*
19	∪́∪ | –	*Ξενο-φῶν*
20	∪́∪ | ∪∪	*Μελέ-αγρος*

aut post thesin:

21	–́∪ | ∪	*Αἰα-κός*
22	–́∪ | –	*Αἰνέ-ας*
23	–́∪ | ∪∪	*Τηλέ-γονος*
24	–́– | ∪	*Ἀλκαῖ-ος*
25	–́– | –	*Πηλεί-δης*
26	–́– | ∪∪	*Ἀσκλη-πιός*
27	–́∪∪ | ∪	*Ἀρχίλο-χος*
28	–́∪∪ | –	*Ἀρκεσί-λας*
29	–́∪∪ | ∪∪	*Ἀρχεπό-λεμος*

aut post anacrusin:

30	∪ | ∪	*Θέ-τις*
31	– | ∪	*Ὕλ-λος*
32	∪ | –	*Ἄ-βας*
33	– | –	*Νέ-στωρ*

et sic porro, si alterutra aut utraque pars ex pluribus syllabis est.

§. 617.

Apparet, numerum horum nominum, si sic dividantur, corrumpi. Sed facilius tamen fertur anacrusis arsi subiecta, quia sic coniungi tamen duo numeri in pronuntiando possunt: deterior est theseos et anacruseos coniunctio, quia pausam in media voce fieri postulat: et peior etiam, si anacrusis finiat vocem, quia sic pars vocis ultima omni numero caret: sed est tamen hoc usitatum in antispasticis numeris, qui natura sua fractum incessum habent, ut quod v. **614.** allatum est:

ἔκτισαν εὔνι-δας ἠδ' ἀνάνδρους.

Pessima vero est anacrusis alii anacrusi addita, quia sic, praeterquam quod pausa in media voce fit, utraque pars expers est numeri.

§. 618.

Ex his consequitur, optimas vocabulorum divisiones esse, primo, qua arses et theses in eadem voce alternant:

χρυσέα φόρμιγξ Ἀπόλλω-
νος καὶ ἰοπλοκάμων.

Deinde, quae arsin arsi subiectam habent:

καὶ σοφοὶ καὶ χερσὶ βια-
ταὶ περίγλωσσοί τ' ἔφυν.

Denique quae anacrusin habent ante arsin:

ἐκ θεῶν γὰρ μαχαναὶ πᾶ-
σαι βροτέαις ἀρεταῖς.

§. 619.

Ex reliquis dividendorum vocabulorum modis illi meliores sunt, qui pronuntiationem vocis minimum aut interpellant aut corrumpunt.

§. 620.

Itaque quum prior versus arsi finitur, posterior autem ab anacrusi incipit, duobus modis dividi vocabulum potest,

primo, ut pars, quae in sequente versu est, anacrusin et arsin complectatur, quo pertinent §. 616. exempla 1—4. quae non plane incommoda divisio est, ut si in Pind. Ol. III. 17 (28). ita dividas:

δᾶμον Ὑπερβορέων πείσαις Ἀπόλ-
λωνος θεράποντα λόγῳ.

§. 621.

Deinde ut illa pars vocis, quae est in secundo versu, nihil nisi anacrusis vel pars anacruseos sit: vide exempla 15—20. Ea vero prava est divisio. Sic olim in Pind. Pyth. III. 97. dividebatur:

ἔτραπεν κἀκεῖνον ἀγάνορι μι-
σθῷ χρυσὸς ἐν χερσὶν φανείς.

§. 622.

Si autem in thesin exit prior versus, quattuor sunt divisionis modi. Primus in utraque vocabuli parte arsin habet, ut in exemplis 5—8. ex quibus pessima sunt 5. et 7. ut olim in Pind. Pyth. VIII. 129.

ὑποπτέροις ἀνο-
ρέαις ἔχων κρέσσονα πλούτου.

et VI. 31.

Μέμνονα· Νεστό-
ρειον γὰρ ἵππος ἅρμ' ἐπέδα.

Quae sunt omnino reiicienda. Facilius autem pronuntiantur exempla 6. et 8. et si qua his similia sunt, quia minus turbant propriam vocabuli pronuntiationem. Vt Pind. Ol. IV. 16.

χρονιώτατον φάος εὐρυ-
σθενέων ἀρετᾶν.

§. 623.

Secundus modus est is, quo prior quidem pars vocabuli arsin habet, secunda autem in anacrusi consistit, ut in exemplis 21.—29. quod genus divisionum pessimum est, ut olim in Pind. Pyth. X. 16.

τέλος ἀρχά τε δαίμο-
νος ὀρνύντος, αὔξεται.

et peius etiam, qualis constituebatur in Sophoclis Antig. 152.

θεῶν δὲ ναοὺς χοροῖς παννύ-
χοις πάντας ἐπέλθωμεν.

Sed fertur haec divisio, ubi longam thesin brevis anacrusis excipit, quae ratio prope accedit ad usitatam vocabuli pronuntiationem, ut in exemplo 24. Sic Pindarus Pyth. VIII. 20.

Τυφὼς Κίλιξ ἑκατόγκρα-
νος οὔ μιν ἄλυξεν.

§. 624.

Tertius modus est, quum prior vocis pars arsi caret, non autem secunda, ut in exemplis 9.—14. Haec prava divisio est, ut olim Pind. Pyth. II. 84.

ἐμίγνυτ' ἐν Πα-
λίου σφυροῖς, ἐκ δ' ἐγένοντο στρατός.

Et peior etiam, si longa est anacrusis, ut Nem. IV. 82.

Νεοπτόλεμος δ' ἀ-
πείρῳ διαπρυσίᾳ.

§. 625.

Quartus modus, isque omni ex parte pessimus est, quum utraque vocabuli pars ictu caret, eaque re tota vox in duas numero destitutas partes diffluit. Vt apud Pind. Ol. I. 3.

ἅτε διαπρέπει νυ-
κτὶ μεγάνορος ἔξοχα πλούτου·

et v. 161.

ὕπατον ἔρχεται παν-
τὶ βροτῷ· ἐμὲ δὲ στεφανῶσαι·

et Pyth. VIII. 63.

ἐκ πατέρων παι-
σὶ λῆμα. θαέομαι σαφές.

Isthm. ult. 23.

ἀτόλματον· ἀλλ᾽ ἐ-
μοὶ δεῖμα μὲν παροιχόμενον.

§. 626.

Praeterea videndum est, ut quoque in loco, si opus est diviso vocabulo, ea divisio adhibeatur, quae elegantissima est, minimamque offensionem habet. Qua in re multum refert, considerare, quam arcte nexa sint membra. Nam si ita sunt coniuncta, ut singula recte unum versum constituant, i. e. ut, quamvis cohaereant cum alio membro, tamen per se absolutum quoddam ac totum praebeant, multo minor concessa est libertas, quam quum arctius nexa, non sola per se, sed coniunctione sua cum aliis totum aliquod efficiunt. Vt illud, quod modo ex Pind. Ol. I. afferebamus,

ἅτε διαπρέπει νυ-κτὶ μεγάνορος ἔξοχα πλούτου,

quia haec unum versum faciunt, idoneam excusationem habet, qua careret, si duo potius versus essent,

⏑⏑⏑–́⏑–– | ⏑⏑–́⏑⏑–⏑⏑––.

Male vero membra sic distinguerentur,

⏑⏑⏑–́⏑– | –́⏑⏑–⏑⏑–́⏑⏑––

non solum quia proportio haec membrorum parum apta foret, sed etiam quia pleraeque strophae in septima syllaba vocabulum finitum habent. Similiter in illo Pyth. VIII.

ἐκ πατέρων παισὶ λῆμα· θαέομαι σαφές,

comparatio membrorum non apta foret, si haec membra constituerentur:

–́⏑⏑– | –́⏒–́⏑–́⏑⏑–⏑–

immo interpunctiones in ceteris strophis ita, uti supra diximus, distinguendum esse docent:

–́⏑⏑–– | ⏒–́⏑–́⏑⏑–⏑–.

Vbi apertum est, elegantiorem esse divisionem vocabuli, si *παισί*, quam si *παισὶν* scribatur. Nullo modo autem ferri potest illud Isthm. ult.

ἀτόλματον· ἀλλ' ἐ-μοὶ δεῖμα μὲν παροιχόμενον.

Quod peius etiam fit, voce enclitica in principio secundi membri posita:

ἀτόλματον· ἀλλά-μοι δεῖμα μὲν παροιχόμενον.

§. 627.

Quo magis autem membra talia sunt, ut singulos versus constituere videantur, i. e. quo facilius pausa aliqua distingui postulant, tanto magis illae tantum divisiones vocabulorum adhibendae sunt, quae minimum offensionis habeant: ut in Aesch. Agam. 1477.

δαῖμον, ὃς ἐμπιτνεῖς δώμασι καὶ διφυί-
οισι Τανταλίδαισιν.

§. 628.

Hinc intelligitur, cur in quibusdam versibus saepe ita coniuncta sint membra, ut voces etiam iis modis dividantur, qui aliter, i. e. maiore pausa facta, improbandi essent. Quod fit maxime in versibus ab antispasto incipientibus, et in iis, qui duo penthemimere iambica continent. Aeschylus Sept. ad Theb. 121. Pers. 288. Agam. 217. 200. seq.

ἄρηξον δα-ΐων ἅλωσιν.
ἔκτισαν εὔνι-δας ἠδ' ἀνάνδρους.

μιαίνων παρ-θενοσφάγοισιν.
πνοαὶ δ' ἀπὸ Στρυ-μόνος μολοῦσαι,
κακόσχολοι νή-στιδες δύςορμοι.

§. 629.

Denique in membris versuum distinguendis etiam sensus multo usu subactus acrique iudicio confirmatus accedat necesse est, qui quid usitatum, quid aptum, quid venustum sit, facile animadvertat, diligenterque expendat. Exemplo rem illustrabo. In Soph. Oed. R. 660. Erfurdtius ita versus distinxit:

οὐ τὸν πάντων θεῶν-θεὸν πρόμον
Ἅλιον· ἐπεὶ ἄθεος, -ἄφιλος, ὅ τι πύματον
ὀλοίμαν, φρόνη-σιν εἰ τάνδ' ἔχω.

Et in antistropha v. 690.

ὦ ̓ναξ, εἶπον μὲν οὐχ-ἅπαξ μόνον,
ἴσθι δὲ παραφρόνιμον,-ἄπορον ἐπὶ φρόνιμα
πεφάνθαι μ' ἄν, εἴ-σε νοσφίζομαι.

Horum primum membrum iambicum ischiorrhogicum, secundem monometrum iambicum, reliqua dochmiaca sunt. At quum primus versus et in stropha et in antistropha brevi syllaba terminetur, iam hoc indicio colligi potest, non ea in syllaba finiendum esse numerum, sed ulterius produci debere. Deinde ut antistrophicum versum interpunctio eo in loco finiri patiatur, at in strophicis verba unam notionem efficientia, *θεὸν πρόμον Ἅλιον*, male divellerentur. Ex quo apparet, versus omnes uno systemate cohaerere, et iambicum ischiorrhogicum excipere dochmiacos uno admixto Cretico. Iam quaeritur, ubi Creticus ille constituendus sit: utrum in initio secundi versus,

οὐ τὸν πάντων θεῶν-θεὸν πρόμον Ἅλιον·
ἐπεὶ ἄθεος, -ἄφιλος, ὅ τι πύματον·

et in antistropha,

ὦ ̓ναξ, εἶπον μὲν οὐχ-ἅπαξ μόνον, ἴσθι δὲ
παραφρόνιμον,-ἄπορον ἐπὶ φρόνιμα·

an in principio tertii versus,

> *ἐπεὶ ἄθεος, ἄφιλος, -ὅ τι πύματον ὀλοί-*
> *μαν, φρόνη-σιν εἰ τάνδ' ἔχω·*

et in antistropha:

> *παραφρόνιμον, ἄπορον-ἐπὶ φρόνιμα πεφάν-*
> *θαι μ' ἄν, εἴ-σε νοσφίζομαι·*

an denique in fine secundi versus,

> *οὐ τὸν πάντων θεῶν-θεὸν πρόμον Ἅλιον·*
> *ἐπεὶ ἄθεος, ἄφιλος, -ὅ τι πύματον*
> *ὀλοίμαν, φρόνησιν εἰ τάνδ' ἔχω·*

et in antistropha:

> *ὦ 'ναξ, εἶπον μὲν οὐχ-ἅπαξ μόνον, ἴσθι δὲ*
> *παραφρόνιμον, ἄπορον-ἐπὶ φρόνιμα*
> *πεφάνθαι μ' ἄν, εἴ-σε νοσφίζομαι.*

Apparet vero, in prima harum divisionum non eleganter verba *ἄθεος, ἄφιλος* et *παραφρόνιμον, ἄπορον,* quae sensus coniungi postulat, in duo membra divelli; in secunda autem multo peius etiam Creticum in syllabis non integras voces efficientibus, multoque minus sensum aliquem praebentibus constitui. Quod contra quam tertio loco posuimus rationem, ita elegantem esse videmus, ut eam merito ceteris praeferre debeamus. Nam neque membrum habet ex syllabis sensu carentibus compositum; et quae coniungi sensus postulat, *θεὸν πρόμον Ἅλιον,* et *ἄθεος ἄφιλος,* et *παραφρόνιμον, ἄπορον,* coniuncta sunt; et Creticus eo loco, qui aptissimus est, iisque in vocibus, quae singularem vim habent, constitutus cernitur; postremo, si hi versus secundum hanc membrorum divisionem recitantur, nihil est usquam, quod auditor non modo statim percipiat, sed etiam ita apte et graviter collocatum animadvertat, ut sua singulis verbis ac sententiis vis et virtus constet.

CAP. XIX.

De usu antistropharum summatim.

§. 630.

Graeci in omni poesi, maxime autem in lyrica, et magis etiam in scenica magno studio aequalem quamdam partium comparationem consectati sunt. Quae res ut ad mulcendos ac delenieudos animos auditorum eximiam suavitatem habet, ita singulari arte ad miram varietatem adducta atque exculta est.

§. 631.

Metrici carmina, quod ad repetitiones numerorum attinet, in duo genera dividunt, quae *κατὰ στίχον* et *κατὰ σύστημα*, sive *συστηματικά*, vocantur. *Κατὰ στίχον* sunt, quae tantummodo ex versibus composita sunt; *κατὰ σύστημα*, quae ex systematis vel strophis. Quae genera quum ita sunt in uno carmine coniuncta, ut pars *κατὰ στίχον*, pars *κατὰ σύστημα* scripta sit, carmina ea *μικτὰ γενικὰ* vocantur, ut tragoediae et veteres comoediae; quum autem perinde est, utrum quis ea *κατὰ στίχον*, an *κατὰ σύστημα* scripta putare velit, *κοινὰ γενικὰ* dicuntur, ut multa ex Anacreonticis carminibus, quae et ex versibus tantum, et ex strophis possunt composita videri. V. Hephaest. pag. 63.—71 (111.—131).

§. 632.

Quae *κατὰ στίχον* scripta sunt, dividunt metrici in *μικτά*, quae in aliis partibus alios versus habent, ut comoediae Menandri fuerunt, et in *ἄμικτα*, quae ubique eodem genere versus procedunt, ut poesis epica.

§. 633.

Συστηματικὰ autem ita dividuntur, ut alia *κατὰ σχέσιν*, alia *ἀπολελυμένα*, alia *μετρικὰ ἄτακτα*, alia *ἐξ ὁμοίων*, alia *μικτὰ συστηματικά*, alia *κοινὰ συστηματικὰ* esse dicantur. Quae satis prava partitio est.

§. 634.

Et *κατὰ σχέσιν* vocantur, quae responsiones et iterationes habent.

§. 635.

Ἀπολελυμένα dicuntur, quae, prout libitum est poetae, sine certa lege conduntur. De his infra cap. XXV. explicabitur.

§. 636.

Μετρικὰ ἄτακτα sunt, quae ex certis quidem, sed diversi generis versibus temere mixtis constant: cuiusmodi exemplum afferunt hoc Simonidis:

Ἴσθμια δίς, Νεμέᾳ δίς, Ὀλυμπίᾳ ἐστεφανώθην,
οὐ πλάτεϊ νικῶν σώματος, ἀλλὰ τέχνᾳ,
Ἀριστόδαμος Θράσιδος Ἀλεῖος πάλᾳ.

Dicuntque hoc modo Margiten, qui Homero adscribebatur, fuisse compositum. Hoc totum genus non ad *συστηματικά*, sed ad carmina *κατὰ στίχον* scripta referri debebat.

§. 637.

Neque quae *ἐξ ὁμοίων* dicuntur ad hanc quidem partitionem pertinebant, ut in quibus non comparationes systematum, sed metri genus spectetur. Habent enim hoc nomen ea, quae uno genere pedis vel numeri sine interruptione decurrunt, i. e. quae systemata vocari solent, ut anapaestorum, Ionicorum, aliorumque numerorum. Distinguuntur autem *τὰ ἐξ ὁμοίων* in *ἀπερίόριστα*, quae uno tenore usque ad finem procedunt, i. e. quae unum systema sunt; et in ea,

quae sunt *κατὰ περιορισμοὺς ἀνίσους*, i. e. quae constant ex pluribus eiusdem generis, sed diversis inter se systematis, ut saepe in parodis tragoediarum plura diversae longitudinis systemata anapaestica inveniuntur, hoc modo: *Α. Β. Γ. Δ. Ε.*

§. 638.

Μικτὰ συστηματικὰ dicuntur, quae fiunt coniunctis diversis generibus systematicorum, veluti si ex parte *κατὰ σχέσιν*, ex parte *ἀπολελυμένα* sunt.

§. 639.

Denique *κοινὰ συστηματικὰ* appellantur, quae diversorum perinde generum videri possunt, ut Horatii Carm. III. 12. quod imperito videbitur *ἐξ ὁμοίων* esse, perito autem *κατὰ σχέσιν*.

§. 640.

Quae *κατὰ σχέσιν* vocantur, eorum haec metrici genera posuerunt: *μονοστροφικά*, in quibus eadem usque stropha repetita est, hac forma: *Α. Α. Α.* Recentiores perperam monostrophica appellare solent, quae veteribus *ἀπολελυμένα* vocabantur, de quibus dicetur cap. XXV.

§. 641.

Deinde *ἐπῳδικά*, hac forma: *Α. Α. Β.* quae *τριὰς ἐπῳδική* vocatur; vel hac: *Α. Α. Α. Β.* quae *τετράς*; vel hac: *Α. Α. Α. Α. Β.* quae *πεντάς*; ex quibus usitatissima est *τριάς*: v. praeter Hephaest. pag. 68 (123). etiam Schol. Eurip. ad Hecub. 620 (624).

§. 642.

Porro *μεσῳδικά*, hac forma: *Α. Β. Α.*

§. 643.

Tum *παλινῳδικά*, hac forma: *A. B. B. A.* Quae *ἀντιθετικὰ* vocantur, si non strophae, sed singuli versus sibi respondent isto modo, ut *ά. β'. γ'. γ'. β'. ά.*

§. 644.

Deinde *περιῳδικά*, hac forma: *A. B. B. Γ.*

§. 645.

Denique *κατὰ περικοπὴν ἀνομοιομερῆ*, hoc modo: *A. B. A. B.*

§. 646.

His addunt *μικτὰ κατὰ σχέσιν*, quum diversae ex iis, quas attulimus, formae coniunctae sunt, ut epodica et mesodica, hoc modo: *A. B. A. Γ.* vel palinodica et mesodica, ut *A. B. Γ. Δ. Γ. B. A.*

§. 647.

Et *κοινὰ κατὰ σχέσιν*, quae pluribus peraeque horum generum adnumerari possunt: qualia sunt, quae dicuntur *κατὰ περικοπὴν ἀνομοιομερῆ*, *A. B. A. B.* Nam si *A. B.* in unam stropham *Γ.* coniunxeris, habebis monostrophica *Γ. Γ.*

§. 648.

Nullum est horum generum, cuius non multa hodie quoque exempla supersint. Sed rarissimae sunt *τετρὰς* et *πεντὰς ἐπῳδική*. *Τριὰς* vero usitatissima est, ut in plerisque Pindari carminibus et Simonidis. *Μονοστροφικὰ* lyrica maxime poesis antiquiorum frequentavit, quos secuti Romani poetae. Eadem lyricorum aetas etiam multa *κατὰ στίχον* scripsit, quo in genere brevissima forsitan forma est, quam Sappho, Terentiano Mauro teste pag. 2431. v. 2159. seqq. ex versibus Adoniis composuit. Monostrophici carminis duas formas Alcman uno carmine coniunxit, septem strophis idem metrum

habentibus alias septem alio metro, sed has quoque sibi omnes pares subiiciens, ut refert Hephaestio p. 74 (134).

§. 649.

Tragici plerumque in choricis carminibus duas tantum eodem metro strophas ponunt, deinde duas alias alio metro, et sic amplius. Interdum his epodum unam vel in fine, vel in medio carmine addunt. Hoc modo sine epodo: *ά. ά. β'. β'. γ'. γ'. δ'. δ'.* Cum epodo autem sic: *ά, ά. β'. β'. γ'. γ'. δ'. δ'. έ.* vel *ά. ά. β'. γ'. γ'. δ'. δ'.* Sed de hac omni varietate mox explicatius dicetur.

CAP. XX.

De responsionibus metrorum in diverbiis.

§. 650.

Tragici aequali partium comparatione et responsione tantopere delectati sunt, ut eam etiam in diverbiis, ubi quidem non vehementior aliquis motus animorum abesse illam orationis aequabilitatem postularet, adhibendam putaverint.

§. 651.

Ac plerumque quidem ita haec colloquia disposita sunt, ut singulae personae singulos versus recitent: ut in Agam. a v. 276. et a v. 547. Pollux IV. 113. *στιχομυθεῖν δὲ ἔλεγον τὸ παρ' ἓν ἰαμβεῖον ἀντιλέγειν, καὶ τὸ πρᾶγμα στιχομυθίαν.* Et fere, ut in his ipsis locis, longior aliqua alterius personae oratio exordium, pariterque finem facit, quo ne nimia aequabilitas taedium creet. Alibi singulae personae duos versus recitant, ut in Eumen. a v. 714. et in Choeph. a v.

1051. Interdum una persona semper unum, altera autem duos versus habet, ut in Prom. a v. 39. Alibi variatur, ut nunc singuli duos, nunc unum quisque versum pronuntiet, ut in Oed. Reg. a v. 543. Aliquando interrumpitur haec responsionum aequalitas, quum quid intervenit, aut augetur animi commotio, ut in eadem fabula v. 334. ubi mox rursus in ordinem redit colloquium. Saepe etiam, quum singuli singulos versus habuissent, ubi magis exardescunt, unusquisque versus inter utrumque colloquentium distribuitur, utroque nunc plura, nunc pauciora verba dicente, sed in eo tamen servata aequalitate, quod utriusque dicta uno integro versu continentur. Ita in Oreste a v. 764. ed. Pors. et a v. 1614. et in Phoenissis a v. 612. Interdum unus colloquentium pro integro versu nihil nisi brevem exclamationem profert, ut in Agam. 1316. Alibi per huiusmodi exclamationem commutantur vices, altera persona inchoatum ab altera versum adimplente, ut in Prometh. v. 979.

ʽΕΡ. εἴης φορητὸς οὐκ ἄν, εἰ πράσσοις καλῶς.
ΠΡ. ὤ μοι. ʽΕΡ. τόδε Ζεὺς τοὔπος οὐκ ἐπίσταται.

Quin etiam epodica quaedam conformatio invenitur in Agamemnone v. 1352.

ΑΓ. ὤμοι πέπληγμαι καιρίαν πληγὴν ἔσω.
Χ. α΄. σῖγα· τίς πληγὴν ἀυτεῖ καιρίως οὐτασμένος;
ΑΓ. ὤ μοι μάλ' αὖθις δευτέραν πεπληγμένος.
Χ. β΄. τοὔργον εἰργάσθαι δοκεῖ μοι βασιλέως οἰμώγματι.

Quibus versibus, quorum bini quique stropharum instar sunt, pro epodo alius a tertio chorico sene trochaicus additur:

ἀλλὰ κοινωσώμεθ' ἄν πως ἀσφαλῆ βουλεύματα.

Tum autem reliqui duodecim senes singuli duos recitant iambicos trimetros.

CAP. XXI.

De parabasi.

§. 652.

In comoedia veteri praecipue memorabilis est parabasis, quae vocatur, quae est chori ad spectatores conversio. De ea videndi Hephaestio p. 71 (131). Pollux IV. 111. schol. Aristoph. in argum. I. Nubium, et ad v. Nubium 518. et 1113. atque ad Pacem v. 733. Partes quasdam eius attingunt schol. ad Nub. v. 510. 575. ad Acharn. 659. Etym. M. p. 363, 46. emendatus a Sylburgio. Vide etiam Bulengerum de theatro II. 13. in Graevii Thes. Ant. Rom. T. IX.

§. 653.

Constat parabasis, quae integra est, ex partibus septem, quae sunt *κομμάτιον, παράβασις, μακρόν, στροφή, ἐπίῤῥημα. ἀντίστροφος, ἀντεπίῤῥημα*, ita ut tres priores eius partes inaequales sint, reliquae autem quattuor sibi alternantes respondeant, hoc modo:

α'. *κομμάτιον.*
β'. *παράβασις.*
γ'. *μακρόν.*
  δ'. *στροφή.*
ε'. *ἐπίῤῥημα.*
  δ'. *ἀντίστροφος.*
ε'. *ἀντεπίῤῥημα.*

Et primae quidem tres partes a coryphaeo recitantur; *ἐπίῤῥημα* et *ἀντεπίῤῥημα* autem a ducibus hemichoriorum.

§. 654.

Κομμάτιον est breve carmen, ex versibus anapaesticis dimetris aliisve compositum non habens antistrophas. Interdum pariter, ut quae sequitur parabasis, ex anapaesticis tetrametris constat, ut in Acharn. v. 626. et in Pace v. 729.

§. 655.

Παράβασις, quae angustiore significatu dicitur, ut non omnes septem partes comprehendat, sed ipsa sit una ex his partibus, plerumque anapaesticis tetrametris constat, unde etiam *ἀνάπαιστα* vocatur, ut in Acharn. 627. in Equit. 502. in Pace 735. in Avibus 684. etiam si alio quam anapaestico metro est: v. Pollucem IV., 112. schol. Aristoph. ad Pac. 734. schol. Hephaest. p. 59 (102). Saepe etiam alio metro est parabasis, ut Eupolideo in Nubibus v. 518. seqq., sed semper *κατὰ στίχον*, i. e. eodem usque versu repetito, scripta. Numquam vero ad eam trimetri iambici adhibentur: v. Bentl. diss. Phalar. p. 111. sive ed. Lips. p. 262.

§. 656.

Μακρὸν fere ex dimetris anapaesticis constat, et est eiusmodi, ut totum *ἀπνευστί*, i. e. uno spiritu recitari debeat, a qua re etiam *πνῖγος* vocatur.

§. 657.

Στροφή, quae etiam *ᾠδή* dicitur, cantio est versibus melicis scripta, cui, ubi *ἐπίῤῥημα* recitatum est, respondet iisdem metris *ἀντίστροφος*, quae etiam *ἀντῳδή* vocatur.

§. 658.

Ἐπίῤῥημα constare solet ex versibus tetrametris trochaicis, quos coryphaeus, ubi stropha cantata est, recitat. Huic deinde, postquam cantata est antistropha, respondet totidem versibus eiusdem metri *ἀντεπίῤῥημα*.

§. 659.

Magna in parabaseos usu varietas reperitur. Aliae enim comoediae nullam habent, ut Ecclesiazusae et Plutus, aliae duas, ut Nubes, Equites, Pax.

§. 660.

Nec semper integra parabasis est. Integrae exempla sunt in Nubibus a v. 510. in Equit. a v. 498. in Avibus a v. 676. in Vespis a v. 1009. in Acharn. a v. 627. Tres priores partes, *κομμάτιον*, *παράβασις*, *μακρόν*, desunt in Ran. v. 674. Eq. 1264. Pac. 1127. Quae in Thesmoph. a v. 785. est parabasis, tres tantum partes habet, *παράβασιν*, *μακρόν*, *ἐπίῤῥημα*. Quae in Pace a v. 729. quinque, *κομμάτιον*, *παράβασιν*, *μακρόν*, *στροφήν*, *ἀντίστροφον*. Quae in Nubibus a v. 1115. unam tantum, *παράβασιν*.

§. 661.

Saepe vero etiam aliae partes comoediarum, eaeque interdum longissimae, similem, ut parabases, conformationem habent, respondentibus sibi singulis partibus. Ita in Avibus a v. 451. primo stropha est, deinde *ἐπίῤῥημα* ex LXIII anapaesticis tetrametris, tum systema ex dimetris anapaesticis, quasi *μακρόν*, etsi longius illud, quam quod uno spiritu pronuntiari possit: inde eodem ordine a v. 539. totidem versibus antistropha, *ἀντεπίῤῥημα*, et par priori systema dimetrorum anapaesticorum. In Lysistrata autem v. 614.—635. trochaici sunt tetrametri, quibus mediis stropha admixta est, et v. 636—657. totidem trochaici cum antistropha. Hos alia stropha aliique trochaici, ipsi quoque stropham aliam in medio habentes, excipiunt v. 658.—681. quibus totidem pares versus, 682.—705. respondent.

§. 662.

Non videntur haec temere instituta, sed credibile est, eadem aequalitate etiam stationes chori actorumque in orchestra

scenaque disponi solitas fuisse. Oculis enim multo facilius animadverti haec aequalitas potest, quam auribus notari: ut nisi spectandi caussa opus ea diligentia fuisset, non videatur audiendi caussa esse inventa.

CAP. XXIII.

De carminibus choricis.

§. 663.

Praecipuus est antistrophicorum usus in carminibus choricis. Sed haec carmina quemadmodum inter se ipsa differunt, ita etiam, quod ad rationem antistrophicam attinet, aliquid diversitatis habent. Primo videamus de iis canticis, quae ab solo choro canuntur.

§. 664.

In tragoedia longiorum chori carminum duo genera commemorantur, parodus et stasimum. Aristoteles quidem Poet. 12, 7. parodum dicit primam recitationem totius chori esse: stasimum autem canticum chori sine anapaestis et trochaeis. Scholiastes metricus Euripidis autem ad Phoen. 210. ed. Valck. stasimum vocari ait carmen, quod chorus post parodum immotus stans canat; parodum autem canticum, quod chorus, dum in orchestram ingrediatur, canat.

§. 665.

Πάροδος quum et ingressionem chori in orchestram, et ea significet, quae chorus orchestram vel ingrediens vel primum ingressus canit vel recitat, vera videtur Aristotelis de-

finitio esse, si parodum de iis, quae canuntur, intelligimus. Itaque hic parodum dicit canticum, quod primum in tragoedia chorus vel totus canat, vel in partes divisus, ut in Oreste. Nam a parodo, hac quidem significatione, segregandi sunt anapaesti, trochaei, iambi, ut qui non canantur, sed recitentur, neque a choro, sed a coryphaeo aut aliquo alio cantorum. Latius extensa significatione nominis usus est Heph. p. 70 (128.)

§. 666.

Neque stasimum ab eo, quod immotus stet chorus, dictum est, sed quod a choro non accedente primum, et ordines explicante, sed iam tenente stationes suas canatur.

§. 667.

Vtrumque genus hoc commune habent, quod antistrophica sunt, et quidem ita, ut stropham statim sequatur antistropha, strophae ipsae autem inter se diversae sint, hoc modo: ά. ά. β'. β'. γ'. γ'.

§. 668.

Proodus in neutro genere usurpata videtur: epodus non est necessaria. Mesodum non vidi in stasimo, nisi in Oreste v. 831. - 833.

§. 669.

Epodus et in parodo locum habet, ut in Hippolyto et in Iphigenia Aulidensi, et in stasimo. Sed quaedam parodi videri possunt epodum etiam in medio habere, ut in Persis, in Agamemnone, in Phoenissis. At de his sic potius statuendum, epodo finiri parodum; tum succedere stasimum. In Iphigenia Aulidensi quae post epodum a v. 231. leguntur, recentioris eiusque valde inepti poetae versus sunt. Veri simile est strophas non a toto choro, sed vel ab hemichoriis vel ab aliquot cantoribus cantatas esse, quumque chorus tragicus cantores

habuerit quindecim, credibile est quinos stropham, quinos antistropham, quinos epodum cecinisse. Quae in Agamemnone a v. 483. epodus est, eam quattuor deinceps, alius alium excipientes, canere videntur, tacente qui medius stabat coryphaeo.

§. 670.

Non videtur dubitari posse, quin antistrophica et epodica canticorum compositio cum certis chori in orchestra stationibus, eamdem referentibus aequalitatem, coniuncta fuerit. Itaque epodica sic acta suspicere, ut chorus, dum strophas atque antistrophas caneret, duas oppositas partes orchestrae tenuerit, epodum autem cecinerit stans in medio orchestrae loco. Non abhorret hoc ab iis, quae Marius Victorinus refert p. 2501 (76. ed. Gaisford.) *Antiqui deorum laudes carminibus comprehensas circum aras eorum euntes canebant, cuius primum ambitum quem ingrediebantur a parte dextra* στροφὴν *vocabant: reversionem autem sinistrorsum factam completo priore orbe* ἀντίστροφον *appellabant: dein in conspectu deorum soliti consistere, cantici reliqua consequebantur, appellantes id* ἐπῳδόν.

§. 671.

Potest autem quadruplex chori partitio cogitari. Nam aut omnia a toto choro, aut omnia a partibus chori canebantur, aut partes chori strophas, totus autem chorus epodum, aut totus chorus strophas, epodum autem pars chori canebat.

§. 672.

Omnium usitatissima videtur divisio in duo hemichoria fuisse. Haec dividendi chori ratio secundum Pollucem IV. 107. *διχορία,* pars dimidia chori *ἡμιχόριον,* carmen, quod ita divisus chorus canebat, *ἀντιχορία* vocabatur.

§. 673.

Saepe autem chorus etiam in plures partes dividebatur; quin interdum singuli ex XV cantoribus seorsim canebant, ut in parodo, quae est in Septem ad Thebas.

§. 674.

Qualis fuerit quoque in loco divisio et distributio chori, nunc ex argumento, nunc ex dispositione stropharum, nunc ex numeris videtur colligi posse.

§. 675.

Ita quod in Agamemnone canticum est a v. 375. qui accurate consideraverit, facile adducetur, epodi de qua dictum est §. 669. argumentum non toti choro, sed exiguae eius parti convenire. Vide Elem. d. m. p. 728.

§. 676.

Et quod §. 669. de parodo diximus epodum habente, quam stasimum excipiat, arguere videtur, chorum initio in partes aliquas divisum, strophas, antistrophas, epodum, deinde autem vel in unum congregatum vel alio modo dispositum illas strophas, quae stasimi sunt, canere.

§. 677.

Quemadmodum stasimum, quod post parodum est, alios quam parodum modos aliaque metra habere par est, sic singula stropharum paria non solum metris, sed etiam modis musicis differre, ex ipsa metrorum conformatione apparet, ut in Oedipo Rege in eo carmine, quod est a v. 1186.

§. 678.

In tragicorum parodis et stasimis saepe difficultatem habent epodi, quarum nonnullae tanta sunt metrorum similitudine factae, ut antistrophicorum speciem pene obtrudere

videantur: ut in Prometheo v. 425. 900. in Persis 93. Sed cavendum, ne haec species fraudem faciat. Nam saepe in epodis eadem metra repetita, sed mixta etiam aliis metris, inveniuntur, ut ea re interdum partes earum sibi simillimae sint.

§. 679.

Praeter parodum et stasima etiam alia quaedam chori cantica reperiuntur, quibus finitur interdum tragoedia. Haec parodo quam stasimis similiora sunt. Constant autem ex antistrophicis, et canuntur, ut videtur, a partibus chori. Ita certe in Supplicibus Aeschyli factum. Aliud exemplum praebent Eumenides, ubi non is, qui legitimus in ea fabula chorus est, sed alius hoc canticum habet.

§. 680.

Interdum et tragici et comici aliud genus carminis usurpant, quod ex una stropha constat, cuius antistropha non statim, sed post aliquot actorum versus et interdum satis magna fabulae parte interiecta sequitur. Huiusmodi strophae nunc longiores sunt, ut in Philocteta v. 391. et 507. Aeschylus autem in Eumenidibus, quae fabula plura continet huius generis exempla, etiam eadem verba omnia iteravit, quod ille etiam in stasimis nonnumquam et commis fecit, ut in Septem ad Thebas, in Agamemnone, in Supplicibus. Nunc breviores sunt strophae istae, compositae plerumque ex genere dochmiaco, ut in Aeschyli Septem ad Thebas et Supplicibus.

§. 681.

Perraro in tragoediis carmen chori invenitur ex stropha solitaria, omnique antistropha destitutum: quod non videtur nisi in magna quadam et insolita animorum commotione factum esse. Exemplum est in Trachiniis v. 205. ubi scholiastes: τὸ μελιδάριον οὐκ ἔστι στάσιμον, ἀλλ᾽ ὑπὸ τῆς ἡδονῆς ὀρχοῦνται. Videtur autem et hoc carmen a diversis chori

partibus cani, et sic etiam strophae illae, de quibus §. 680. dictum, non esse universi chori.

§. 682.

Multo certius illa chori carmina non ab universo choro, sed a diversis partibus eius cantata videntur, in quibus non suam quaeque antistropha stropham excipit, sed artificiosior est antistrophicorum dispositio, ut in Choeph. v. 781. ubi hic est stropharum ordo:

ά. β'. ά. γ'. μεσῳδός. γ'. δ'. β'. δ'.

CAP. XXIII.

De systematis antistrophicorum.

§. 683.

Artificiosa illa stropharum copulatio, in qua admirabilem poetae Graecorum scenici operam collocarunt, eorum propria est canticorum, quae vel a solis actoribus sine choro, vel a choro cum actoribus verba conferente, vel a partibus aliquibus solius chori alternatim canuntur.

§. 684.

Plerumque inter chorum et actores haec carmina divisa sunt: ac tum vocantur *κομμοί*. Aristoteles Poet. c. 12. *κομμὸς δὲ, θρῆνος κοινὸς χοροῦ καὶ ἀπὸ σκηνῆς.*

§. 685.

Ἀπὸ σκηνῆς vocantur omnia, quae ab actoribus vel recitantur vel canuntur. Horum ea, quae canuntur, interdum

ἀπολελυμένα sunt, sed frequentius antistrophica artificiosius disposita.

§. 686.

Raro solus chorus in partes divisus antistrophica habet artificioso ordine implicata. Exemplum allatum §. 682.

§. 687.

Patet haec antistrophicorum complicatio latissime, ut non modo singulae strophae, sed saepe etiam plura ex multis strophis composita systemata vel adnexa sibi, vel inter se coniuncta sint.

§. 688.

Numquam enim temere et sine certo ordine atque aequali proportione hae stropharum copulationes factae sunt. Sed interdum difficile est, hanc aequalitatem comparationum invenire, aut inventam ita explicare, ut clare appareat. Quod tamen necessarium est, quia aliter non recte constituta esse antistrophica intelligitur. Optima et facillima et inveniendae et demonstrandae huius aequalitatis via haec videtur esse, si singulae deinceps strophae atque antistrophae eo ordine, quo sese in carmine quoque excipiunt, notis quibusdam indicantur, antistropha quaque eamdem, quam stropha, notam habente, eaeque notae deinde, quae eaedem sunt, lineis semicircularibus coniunguntur: qua ratione pictura enascitur luculenter aequalem partium proportionem conspiciendam exhibens.

§. 689.

Fuit autem tantum in poetis illis studium aequalitatis, ut etiam personarum vices eadem diligentia, qua strophas et metra disponerent et inter ipsas exaequarent, nunc in antistropha eodem ordine, quo in stropha, nunc etiam inverso ordine; quumque in mediis versibus mutantur personae, eodem utrobique in pede pedisque loco. Vnde saepe haec res

indicium facit personarum male in codicibus indicatarum. Exemplo sit carmen, quod est in Troadibus a v. 1287. quod duobus versiculis in sedem suam repositis ita scribendum videtur.

Ἑ. ὀτοτοῖ, ... στρ. ά.
Κρόνιε, Κρόνιε, πρύτανι Φρύγιε, γενέτα πάτερ, ἀνάξια
πάθεα τᾶς σᾶς
Δαρδάνου γονᾶς τάδ᾽ οἷα
πάσχομεν, δέδορκας;
Χ. δέδορκεν· ἁ δὲ μεγαλόπολις
ἄπολις ὄλωλεν, οὐδ᾽ ἔτ᾽ ἔστι Τροία.
Ἑ. ὀτοτοῖ, λέλαμπεν Ἴλιος ἀντ. ά.
Περγάμων τε πυρὶ καταίθεται τέρεμνα καὶ πόλις,
ἄκρα τε τειχέων
μαλερὰ μέλαθρα πυρὶ κατάδρομα
δαΐῳ τε λόγχᾳ.
Χ. πτέρυγι δὲ καπνὸς ὥς τις οὐ-
ράνια πεσοῦσα δορὶ καταφθίνει γᾶ.
Ἑ. ἰὼ γᾶ τρόφιμε τῶν ἐμῶν τέκνων. στρ. β΄.
Χ. ἒ ἕ.
Ἑ. ὦ τέκνα, κλύετε, μάθετε ματρὸς αὐδάν.
Χ. ἰαλέμῳ τοὺς θανόντας ἀπύεις.
Ἑ. γεραιά γ᾽ εἰς πέδον τιθεῖσα μέλε᾽ ἐμὰ
καὶ χερσὶ γαῖαν κτυποῦσα δισσαῖς.
Χ. διάδοχά σοι γόνυ τίθημι γαίᾳ,
τοὺς ἐμοὺς καλοῦσα νέρθεν
ἀθλίους ἀκοίτας.
Ἑ. ἀγόμεθα, φερόμεθ᾽ Χ. ἄλγος, ἄλγος αὖ βοᾷς.
Ἑ. δούλειον ὑπὸ μέλαθρον ἐκ πάτρας γ᾽ ἐμᾶς.
ἰώ,
Πρίαμε, Πρίαμε, σὺ μὲν ὀλόμενος,
ἄταφος, ἄφιλος,
ἄτας ἐμᾶς ἄϊστος εἶ.
Χ. μέλας γὰρ ὄσσε κατεκάλυψε
θάνατος ὅσιον ἀνοσίαις σφαγαῖσιν.

῾Ε. ἰὼ θεῶν μέλαθρα, καὶ πόλις φίλα. ἀντ. β΄.
Χ. ἒ ἔ.
Ε. τὰν φόνιον ἔχετε φλόγα, δορός τε λόγχαν.
Χ. τάχ᾽ εἰς φίλαν γᾶν πεσεῖσθ᾽ ἀνώνυμοι.
῾Ε. κόνις δ᾽ ἴσα καπνῷ πτέρυγι πρὸς αἰθέρα
ἄϊστον οἴκων ἐμῶν με θήσει.
Χ. ὄνομα δὲ γᾶς ἀφανὲς εἶσιν· ἄλλᾳ δ᾽
ἄλλο φροῦδον, οὐδ᾽ ἔτ᾽ ἔστιν
ἁ τάλαινα Τροία.
῾Ε. ἐμάθετ᾽, ἐκλύετε; Χ. Περγάμων κλύω κτύπον.
῾Ε. ἔνοσις ἅπασαν, ἔνοσις ἐπικλύσει πόλιν.
ἰώ,
τρομερά, τρομερὰ μέλεα φέρετ᾽ ἐ-
μὸν ἴχνος, ἴτ᾽ ἐπὶ
δούλειον ἁμέραν βίου.
Χ. ἰὼ τάλαινα πόλις· ὅμως δὲ
πρόφερε πόδα σὸν ἐπὶ πλάτας Ἀχαιῶν.

§. 690.

Rara exempla sunt non observatae aequalis personarum distributionis: quod ubi factum, factum est consulto, et in magna commotione ac perturbatione animorum.

§. 691.

Sed interdum pauca verba alii, quam debebant, personae tributa videmus. At ne hoc quidem temere fit, et sine caussa. Nam ubi ea est stropharum systematis ratio, ut duae contiguae strophae praeter morem systematis uni personae continuari deberent, visum est poetis, quo distinctius discernerentur strophae istae, pauca verba, quibus vel prior stropha finiretur, vel posterior inciperetur, alii personae tribuere. Insigne huius rei exemplum est in Choephoris v. 442. Nam quum ibi quod secundum est systema stropharum, ex quattuor strophis constet, hoc ordine positis ή. θ΄. θ΄. ή. et lege, quod ad personas attinet, ea, ut strophas ί, ή Electra habeat,

strophis ϑ', ϑ' autem Orestes et Electra sibi respondeant: duas continuas strophas habitura esset Electra, antistrophas dico ϑ' et ί. Quod quum nusquam in toto illo Electrae et Orestis cantico fiat, ut eadem persona duas deinceps strophas canat, prima secundae antistrophae verba choro tributa sunt, ut hic novam incipi stropham appareat:

Χ. λέγεις πατρῷον μόρον. Ἠ. ἐγὼ δ' ἀπεστάτουν.

§. 692.

Interdum, quae violatio videtur aequalitatis esse, si accuratius consideretur, alio modo observatio eius est. Sic in hoc carmine in Hecuba v. 684. quod sic scribendum videtur:

Ἑ. ὦ τέκνον, τέκνον, πρ.
αἰαῖ, κατάρχομαι νόμον
Βακχεῖον, ἐξ ἀλάστορος
ἀρτιμαθὴς κακῶν.
Θ. ἔγνως γὰρ ἄτην παιδὸς, ὦ δύστηνε σύ; ά.
Ἑ. ἄπιστ', ἄπιστα, καινά, καινὰ δέρκομαι. β'.
ἕτερα δ' ἀφ' ἑτέρων κακὰ κακῶν κυρεῖ· γ'.
οὐδέ ποτ' ἀστένακτος ἀδάκρυτος ἁ-
μέρα ἐπισχήσει.
Χ. δείν', ὦ τάλαινα, δεινὰ πάσχομεν κακά. μ.
Ἑ. ὦ τέκνον, ὦ τέκνον ταλαίνας ματρός, γ'.
τίνι μόρῳ θνήσκεις; τίνι πότμῳ κεῖσαι;
πρὸς τίνος ἀνθρώπων;
Θ. οὐκ οἶδ'· ἐπ' ἀκταῖς νιν κυρῶ θαλασσίαις. ά.
Ἑ. ἔκβλητον, ἢ πέσημα φοινίου δορός; β'.
Θ. ἐν ψαμάθῳ λευρᾷ M.
πόντου νιν ἐξήνεγκε πελάγιος κλύδων. δ'.
Ἑ. ὤ μοι, αἰαῖ, ἔμαθον ἐνύπνιον ὀμμάτων έ.
ἐμῶν ὄψιν, οὐδέ παρέβα με φά-
σμα μελανόπτερον, ἐςιδοῦσ' ἀμφὶ σοί,
ὦ τέκνον, οὐκέτ' ὄντα Διὸς ἐν φάει.
Χ. τίς γάρ νιν ἔκταν'; οἶσθ' ὀνειρόφρων φράσαι; ς'.

‘Ε. ἐμός, ἐμὸς ξένος, Θρήκιος ἱππότας, μ.
ἵν᾽ ὁ γέρων πατὴρ ἔθετό νιν κρύψας.
Χ. ὤ μοι, τί λέξεις; χρυσὸν ὡς ἔχῃ κτανών; ϛ΄.
‘Ε. ἄῤῥητ᾽, ἀνωνόμαστα, θαυμάτων πέρα, δ΄.
οὐχ ὅσι᾽, οὐδ᾽ ἀνεκτά· ποῦ δίκα ξένων; ε΄.
ὦ κατάρατ᾽ ἀνδρῶν, ὡς διεμοιράσω
χρόα, σιδαρέῳ τεμὼν φασγάνῳ
μέλεα τοῦδε παιδός, οὐδ᾽ ᾤκτισας.

Congruunt hic personae, praeterquam quod ultimo ancillae trimetro Hecubae trimeter respondet. At hoc fit propterea, quia ancillam, nuntiata re, tacere conveniebat: unde vices eius aliam personam subire necesse est. Sed ea re alio modo restituitur aequalitas quaedam. Nunc enim singulae personae tres habent trimetros. Constat autem carmen ex proodo et antistrophicis, quibus tres insertae sunt mesodi, hoc modo:

πρ. ά. β΄. γ΄. μ. γ΄. ά. β΄. Μ. δ΄. ε΄. ϛ΄. μ. ϛ΄. δ΄. ε΄.

§. 693.

Praeterea vero tragici, non etiam lyrici, alio etiam modo aequalitatem quamdam responsionis consectati sunt, quum saepe in eodem et strophae et antistrophae loco idem vel simile verbum posuerunt, quod omnium frequentissime factum est in interiectionibus; vel quum iterationes verborum similes iisdem in locis adhibuerunt. Ita Aeschylus in Persis quum v. 550. tres versus nomine Ξέρξης incepisset, eos tres, qui his in antistropha respondent, verbo νᾶες incepit. Et quum in eadem fabula v. 651. posuisset:

Ἀϊδωνεὺς δ᾽ ἀναπομπὸς ἀνείης,
Ἀϊδωνεύς.

in antistropha similiter scripsit:

θεομήστωρ δ᾽ ἐκικλήσκετο Πέρσαις,
θεομήστωρ.

§. 694.

Exemplo accuratae responsionis sit totum illud carmen in Choephoris a v. 312. in quo si in antistropha ή laedi aequalitas videtur, est illud ea caussa factum, quam §. 691. indicavi. Idque uncis incluso chori nomine significamus. Est igitur haec carminis illius descriptio, quattuor continentis stropharum systemata.

ά. Orestes.
β'. Chorus.
ά. Electra.
γ'. Chorus: anapaesti.
δ'. Orestes.
β'. Chorus.
δ'. Electra.
μεσῳδός. Chorus: anapaesti.
έ. Electra.
ς'. Chorus.
έ. Orestes.
γ'. Chorus: anapaesti.
ζ'. Electra.
ς'. Chorus.
ζ'. Orestes.

ή. Electra.
ϑ'. Orestes.
ϑ'. Electra.
ή. (Ch.) Electra.

ί. Orestes. Electra. Chorus.
ί. Orestes. Electra. Chorus.

ιά. Chorus.
ιά. Chorus.

§. 695.

Aliud insigne exemplum unius magni systematis, alia in se continentis stropharum systemata, in Agamemnone invenitur v. 1457—1585. Eius haec forma est:

α'. Chorus.
β'. Chorus: anapaesti.
γ'. Chorus.
δ'. Clytaemnestra: anapaesti.
α'. Chorus.
δ'. Clytaemnestra: anapaesti.
ε'. Chorus.
ϛ'. Chorus: anapaesti.
ζ'. Chorus.
η'. Clytaemnestra: anapaesti.
ε'. Chorus.
ϛ'. Chorus: anapaesti.
ζ'. Chorus.
η'. Clytaemnestra: anapaesti.
ϑ'. Chorus.
β'. Chorus: anapaesti.
γ'. Chorus.
ι'. Clytaemnestra: anapaesti.
ϑ'. Chorus.
ι'. Clytaemnestra: anapaesti.

§. 696.

Apparet, in his systematis etiam anapaestos sibi respondere. Sed non fit hoc ubique. Nam in quibusdam carminibus anapaesti exempti sunt aequali responsionum comparatione. Interdum vero etiam soli anapaesti, quibus nulla admixta

sunt melica metra, sibi respondent: ut in extremo Prometheo:

ΠΡ.	ʽΕΡ.	ΧΟ.	ʽΕΡ.	ΠΡ.
ά.	β'.	μεσ.	β'.	ά.

Quo in loco, ut saepe, responsiones metrorum indicium faciunt lacunae, vel vitiatae scripturae.

CAP. XXIV.

De interpellatione antistrophicorum.

§. 697.

Hoc, de quo dictum est, aequalis partium distributionis studium monere nos debet, ut, ubicumque carmina ad primum adspectum aut non antistrophica, aut hic illic tantum aliquas responsiones habentia deprehendamus, primum omnium de inveniendis et constituendis antistrophicis cogitemus, idque sic facere instituamus, ut certa carminis lex et regula appareat, ex qua, quo loco quaeque stropha collocari debuerit, clare perspiciatur.

§. 698.

Quod quum saepe propter similitudinem metrorum, lacunasque et scripturae vitia, quibus pleraque carmina deformata sunt, difficillimum sit, tum difficilius etiam redditur eo, quod neque omnia carmina antistrophica sunt, neque omnia tota ex antistrophicis constant, nec denique in omnibus aequalitas illa servata est.

§. 699.

Ac dicatur primo de interpellationibus antistrophicorum. Nam interdum vel aliena persona aliquid inter-

loquente, vel rebus, quae in scena aguntur, alio aliquo modo conturbatis, consulto recessum est ab illa responsionum aequalitate, non quidem ut ea tolleretur, sed ut interiectis alienis interpellaretur.

§. 700.

Insigne huiusmodi interpellationis exemplum Th. Tyrwhittus animadvertit in Euripidis Ione a v. 219. Ibi choricae mulieres dum inter se carmen antistrophicum canunt, in secunda antistropha Ionem compellant, qui respondet versibus anapaesticis, nullos in stropha alios anapaestos oppositos habentibus, ita ut antistropha, cuius stropha uno tenore cantata fuerat, nunc particulatim, interloquente identidem Ione, canatur: in qua re observandum est, syllabas finales versuum et strophicorum et antistrophicorum non iis syllabis, quae in quoque genere succedere debebant, sed iis, quae re vera statim sequuntur ab altero pronuntiatae, accommodatas esse. Antistropha illa cum interpellantibus eam identidem anapaestis haec est.

X. σέ τοι, τὸν παρὰ ναὸν αὐ-
δῶ, θέμις γυάλων ὑπερ-
βῆναί μοι ποδὶ λευκῷ;
I. οὐ θέμις, ὦ ξέναι.
X. ἆρ᾽ ὄντως μέσον ὀμφαλὸν
γᾶς Φοίβου κατέχει δόμος;
I. στέμμασί γ᾽ ἐνδυτόν, ἀμφὶ δὲ Γοργόνες.
X. οὕτω καὶ φάτις αὐδᾷ.
I. εἰ μὲν ἐθύσατε πέλανον πρὸ δόμων,
καί τι πυθέσθαι χρῄζετε Φοίβου,
πάριτ᾽ εἰς θυμέλας· ἐπὶ δ᾽ ἀσφάκτοις
μήλοισι δόμων μὴ πάριτ᾽ εἰς μυχόν.
X. ἔχω μαθοῦσα· θεοῦ δὲ νόμον οὐ παρα-
βαίνομεν· ἃ δ᾽ ἐκτός, ὄμμα τέρψει.
I. πάντα θεᾶσθ᾽, ὅ τι καὶ θέμις, ὄμμασι.
X. μεθεῖσαν δεσπόται
θεοῦ με γύαλα τάδ᾽ εἰςιδεῖν.

I. δμωαὶ δὲ τίνων κλῄζεσθε δόμων;
X. Παλλάδος ἔνοικα τρόφιμα μέλαθρα
τῶν ἐμῶν τυράννων.
παρούσας δ' ἀμφὶ τάδ' ἐρωτᾷς.

§. 701.

Comici aliquando, risus excitandi caussa, in ipsis trimetris diverbiorum videntur interpellationi locum fecisse. Aristophanes in Acharn. 404.

ΔΙ. Εὐριπίδη, Εὐριπίδιον.
ὑπάκουσον, εἴπερ πώποτ' ἀνθρώπων τινί·
Δικαιόπολις καλεῖ σε Χολλίδης ἐγώ.
ΕΥΡ. ἀλλ' οὐ σχολή.
ΔΙ. ἀλλ' ἐκκυκλήθητ'. ΕΥΡ. ἀλλ' ἀδύνατον. ΔΙ. ἀλλ' ὅμως.

Ne quis miretur, quo modo animadvertere potuerint spectatores interpellatum esse trimetrum, tenendum est, Dicaeopolin illa *Εὐριπίδη*, *Εὐριπίδιον* lente et per intervalla proferre, eodemque modo ei respondere Euripidem *ἀλλ' οὐ σχολή*: illos autem qui inter haec medii sunt duo trimetri celeriter pronuntiari, ita ut ipsa recitationis diversitas indicet, interceptum trimetrum expleri verbis Euripidis.

§. 702.

Magis etiam ridiculum est illud in Ranis v. 664. ubi Bacchus, dum verberatur, dolorem dissimulans cantare incipit, sed vincente dolore ex cantu excidens postremis verbis in trimetrum relabitur:

ΔΙ. Πόσειδον, ΞΑ. ἤλγησέν τις.
ΔΙ. ὃς Αἰγαίου πρῶνας ἢ γλαυκᾶς μέδεις
ἁλὸς ἐν βένθεσιν.

Etiam in lyricis carminibus *μεσύμνια* versum interpellare dicetur §. 710.

§. 703.

Quemadmodum in comoediis loci quidam sunt, qui omni metro careant, et plane prosa oratione scripti sint, ut praeconum proclamationes, velut in Thesmophoriazusis v. 295., ita risus captandi caussa etiam antistrophica interdum verbis quibusdam nunc omni metro destitutis, nunc alia metra habentibus interpellari turbarique videntur. Hac ratione in Ecclesiazusis v. 912. videntur levi mutatione facta defendi posse librorum scripturae:

ΝΕ. αἰαῖ, τί ποτε πείσομαι; στρ.
οὐχ ἥκει μοὐταῖρος,
μόνη δ' αὐτοῦ λείπομ', ἡ
γάρ μοι μήτηρ ἄλλη
βέβηκε. καίτοι τἄλλα γ' οὐδὲν δεῖ λέγειν.
ἀλλ', ὦ μαῖ', ἱκετεύομεν, κά-
λει τὸν ὀρθαγόραν, ὅπως
σαυτῆς ἂν κατόναι', ἀντιβολῶ σε.
ΓΡ. ἤδη τὸν ἀπ' Ἰωνίας ἀντ.
τρόπον, τάλαινα, κνησιᾷς,
δοκεῖς δέ μοι καὶ λάβδα κατὰ τοὺς Λεσβίους.
ἀλλ' οὐκ ἂν ποθ' ὑφαρπάσαιο
τἀμὰ παίγνια, τὴν δ' ἐμὴν
ὥραν οὐκ ἀπολεῖς, οὐδ' ἀπολήψει.

§. 704.

Alius non plane dissimilis lusus videtur in Vespis esse v. 317. ubi senex in domo sua inclusus, dolens, quod sibi non liceat cum sodalibus in iudicium ire, non, quod facturus erat, si liber esset, facitque mox, ubi indignatur, alacres Glyconeos, sed eorum loco quinque lugubres versus canit:

φίλοι τήκομαι μὲν
πάλαι διὰ τῆς ὀπῆς
ὑμῶν ὑπακούων.

ἀλλὰ γὰρ οὐχ οἷός τ᾽ ἔτ᾽ εἴμ᾽
ᾄδειν· τί ποιήσω;
τηροῦμαι δ᾽ ὑπὸ τῶνδ᾽· ἐπεὶ ἀντ.
βούλομαί γε πάλαι μεθ᾽ ὑ-
μῶν ἐλθὼν ἐπὶ τοὺς καδί-
σκους, κακόν τι ποιῆσαι.

§. 705.

Vsitatissimae sunt interpellationes in carminibus paromoeostrophis, quorum natura quodammodo in interpellatione posita est. De qua re infra.

CAP. XXV.

De canticis solutis.

§. 706.

Cantica ea, quae non sunt antistrophica, sed libera metrorum compositione facta, *ἀπολελυμένα* a metricis vocantur: de quibus v. Hephaest. p. 66. 69 (116. 126). Horum alia dicunt *ἄστροφα*, quae tam parva sint, ut ne integram quidem stropham constituant; alia *ἀνομοιόστροφα*, quae ex dissimilibus strophis facta, nunc personae mutatione, nunc ephymnio, nunc epodo, nunc alio epiphonemate disterminentur: et quidem si ex duabus strophis constant, *ἑτερόστροφα* dicunt; si ex pluribus, *ἀλλοιόστροφα*; alia denique *ἄτμητα*, quae possint quidem in strophas distingui, sed in quibus nullum indicium adsit, distincta ita esse a poetis.

§. 707.

Hae partitiones quum rem non exhauriant, nos ita hanc omnem varietatem ad genera quaedam revocamus. Atque *ἀπολελυμένα* aut ex solis metris quibusdam constant, quae sunt *ἄστροφα*, aut ex strophis, quae sunt *στροφικά*.

§. 708.

Ex his *ἄστροφα* complectuntur *ἐπιφωνήματα*, *ἐφύμνια*, et *ἐπιφθεγματικά*, quae omnia non nisi longitudine videntur differre.

§. 709.

Ἐπιφωνήματα sive *ἀναφωνήματα* vocantur exclamationes, quae extra strophas vel versus sunt, ut *φεῦ*, *ἰώ*, *αἰαῖ*, et alia plurima.

§. 710.

Certis vocabulis constant *ἐφύμνια*, ut

Ἰήϊε Παιάν,

vel

ὦ διθύραμβε.

Quae si non sunt in fine strophae, sed in media, *μεσύμνια* vocantur. Sappho:

ὕψοι δὴ τὸ μέλαθρον,
Ὑμήναον,
ἀέῤῥετε, τέκτονες ἄνδρες·
Ὑμήναον,
γαμβρὸς ἔρχεται ἶσος Ἄρηϊ.

Vbi recte, ut videtur, Bentleius ad Horat. p. 710. metrum fuisse hoc putat:

ὕψοι δὴ τὸ μέλαθρον ἀέῤῥετε, τέκτονες ἄνδρες,

quod interpellabatur isto mesymnio.

§. 711.

Ἐπιφθεγματικὰ sunt, quae integri versus longitudinem habent: ut haec duo Bacchylidis exempla:

ἦ καλὸς Θεόκριτος, οὐ μοῦνος ἀνθρώπων ἐρᾷς.

et,

σὺ δ' ἐν χιτῶνι μόνῳ παρὰ τὴν φίλην γυναῖκα φεύγεις.

Vide de his epiphonematis Hephaest. p. 70. seq. (128. seqq.)

§. 712.

Ea autem, quae nobis *στροφικὰ* appellare placet, aut *μονόστροφα* sunt, aut *πολύστροφα*.

§. 713.

Μονόστροφα sunt, quae ex una tantum stropha constant. Quae si longiora sunt, ut magnitudinem strophae excedant, et tamen non possunt in plures strophas dividi, *ἄτμητα* vocantur; quales *νόμοι* fuerunt, et, ut videtur, recentiores dithyrambi.

§. 714.

Πολύστροφα sunt, quae ex pluribus strophis constant: eaque *ἀνομοιόστροφα* vocantur, si dissimiles strophas habent; *παρομοιόστροφα* autem, si similes. Ex his *ἀνομοιόστροφα*, si duas tantum strophas continent, *ἑτερόστροφα* dicuntur.

§. 715.

Ex his facillima sunt *ἀνομοιόστροφα*. Haec fere ex systematis quibusdam vel versibus nunc similibus, nunc dissimilibus composita sunt. Vt in Oreste v. 982.

Μόλοιμι τὰν οὐρανοῦ στρ. ά.
μέσον χθονός τε τεταμέναν
αἰωρήμασι μυρίαις
πέτραν ἁλύσεσι χρυσέαισι φερομέναν
δίναισι βῶλον ἐξ Ὀλύμπου,
ἵν᾽ ἐν θρήνοισιν ἀναβοάσω
γέροντι πατρὶ Ταντάλῳ,
ὃς ἔτεκεν, ἔτεκε γενέτορας ἐμέθεν δόμων,
οἳ κατεῖδον ἄτας,
ποτανὸν μὲν δίωγμα πώλων στρ. β'.
τεθριπποβάμονι στόλῳ
Πέλοψ ὁπότε πελάγεσι διε-
δίφρευσε Μυρτίλου φόνον
δικὼν ἐς οἶδμα πόντου,
λευκοκύμοσιν
πρὸς Γεραιστίαις
ποντίων σάλων
ἠόσιν ἁρματεύσας.
ὅθεν δόμοισι τοῖς ἐμοῖ- στρ. γ'.
σιν ἦλθ᾽ ἀρὰ πολύστονος,
λόχευμα ποιμνίοισι Μαιάδος τόκου,
τὸ χρυσόμαλλον ἀρνὸς ὁπότ᾽
ἐγένετο τέρας ὀλοόν, ὀλοὸν
Ἀτρέος ἱπποβότα.
ὅθεν ἔρις τό τε πτερωτὸν στρ. δ'.
ἁλίου μετέβαλεν ἅρμα,
τὰν πρὸς ἑσπέραν κέλευθον
οὐρανοῦ προσαρμόσασα
μονόπωλον ἐς ἀῶ.
ἑπταπόρου δὲ δρόμημα Πελειάδος στρ. έ
εἰς ὁδὸν ἄλλαν Ζεὺς μεταβάλλει,

τῶνδέ τ' ἀμείβει ἀεὶ θανάτους θανά-
των, τά τ' ἐπώνυμα δεῖπνα Θυέστου,
λέκτρα τε Κρήσσας Ἀερόπας δολί-
ας δολίοισι γάμοις, τὰ πανύστατα δ'
εἰς ἐμὲ καὶ γενέταν ἐμὸν ἦλυθε
πολυστόνοισιν δόμων ἀνάγκαις.

§. 716.

Magnam vero difficultatem habent *παρομοιόστροφα*, quorum haec ratio est, ut strophae, ex quibus constant, non totae sibi exaequatae sint, sed ex parte respondeant, ex parte non respondeant. Et quum ubique, ubi responsiones animadvertimus, primo debeamus de antistrophicis investigandis cogitare, saepe vel impeditior stropharum dispositio, vel lacunae ac mendae, quibus plena sunt veterum poetarum scripta, fraudem facere possunt, ut modo antistrophica esse putemus, quae paromoeostropha sunt, modo paromoeostropha videantur, quae antistrophica fuerunt.

§. 717.

Ac non parum auget hanc difficultatem illud, quod multa carmina partim antistrophica, partim paromoeostropha sunt, ut saepe incerti haereamus, utrum, quae sibi non accurate respondent, pro paromoeostrophis, an pro corruptis habenda sint.

§. 718.

Praeterea interpellationes stropharum in hoc genere frequentes sunt, quae non possunt non impeditissimam reddere constitutionem talium carminum: ut non sit mirum, si multis in locis non inveniamus, quod pro certo haberi queat.

§. 719.

Denique aliis in carminibus lex quaedam et ordo stropharum invenitur, in aliis autem nullam legem nullumque or-

dinem deprehendi licet, omninoque tam varia est paromoeostrophorum ratio, ut quoque in carmine et sagacitate magna et diligentia opus sit, si, quod probabile videri possit, eruere velis.

§. 720.

In universum natura paromoeostrophorum in eo est posita, ut strophae sibi non totae, sed ex parte, et quidem plerumque aut initiis aut exitu respondeant. Quod eiusmodi est, ut respondentia ab non respondentibus possint interpellata videri. Vnde omnino interpellationes in paromoeostrophis usitatissimae sunt.

§. 721.

Non videtur autem dubitandum esse, quin hae responsiones certis harmoniae modorumque conformationibus et mutationibus ab iis, quae sibi non respondent, distinctae fuerint, ita ut transitio ab altero genere ad alterum ultro sese debuerit auribus obtrudere. Sed modos carminum quum non habeamus, nihil nobis hodie, quam metrorum similitudo vel dissimilitudo, unde coniecturam faciamus, reliquum est. Quod apparet quam sit ambiguum, ubi eadem metra saepe repetuntur.

§. 722.

Insigne exemplum, in quo plerumque initia responsionem continent, exstat apud Aeschylum in Sept. ad Th. a v. 78. ex quo carmine, cuius postrema pars antistrophica est, has tantum tres strophas ex iis, quae paromoeostropha sunt, affere visum est:

ἀκούετ', ἢ οὐκ ἀκούετ' ἀσπίδων κτύπον; στρ. ζ'.
πέπλων καὶ στεφέων·
πότ', εἰ μὴ νῦν ἀμφὶ λιτάν' ἕξομεν;
κτύπον δέδορκα· πάταγος οὐχ ἑνὸς δορός. στρ. η'.
τί ῥέξεις; προδώσεις,
παλαίχθων Ἄρης, τὰν τεὰν γᾶν;

ὦ χρυσοπήληξ δαῖμον, ἔπιδ', ἔπιδε πόλιν, στρ. θ'.
ἄν ποτ' εὐφιλήταν ἔθου.

§. 723.

Aliud illustre exemplum, in quo strophae, numeris plerumque similes, exitu sibi respondent, qui fit versu dochmiaco, bis etiam pede Cretico, praebet carmen, quod est in Phoenissis 103—192.

§. 724.

In Hecuba a v. 1056. carmen est paromoeostrophum, partim ex anapaestis, partim ex dochmiis et qui cum his alii pedes consociari solent, compositum. Respondent autem sibi strophae exitu.

ὤ μοί μοι ἐγώ,
πᾶ βῶ; πᾶ στῶ, πᾶ κέλσω,
τετράποδος βάσιν θηρὸς ὀρεστέρου
τιθέμενος ἐπὶ χεῖρα κατ' ἴχνος; ποίαν,
ταύταν, ἢ τάνδ' ἐξαλλάξω
τὰς ἀνδροφόνους μάρψαι χρήζων
Ἰλιάδας, αἵ με διώλεσαν,
τάλαιναι κόραι, τάλαιναι Φρυγῶν·
ὦ κατάρατοι, ποῖ καί με φυγᾷ
πτώσσουσι μυχῶν;
εἴθε μοι ὀμμάτων αἱματόεν βλέφαρον
ἀκέσαι', ἀκέσαιο τυφλὸν, Ἅλιε,
φέγγος ἀπαλλάξας.
ἆ ἆ,
σίγα· κρυπτὰν βάσιν αἰσθάνομαι
τάνδε γυναικῶν. πᾶ πόδ' ἐπάξας
σαρκῶν ὀστέων τ' ἐμπλησθῶ,
θοίναν ἀγρίων θηρῶν τιθέμενος
ἀρνύμενος λώβαν,
λύμας ἀντίποιν' ἐμᾶς, ὦ τάλας;

ποῖ, πᾷ φέρομαι, τέκν' ἔρημα λιπὼν
Βάκχαις Ἅιδου διαμοιρᾶσαι,
σφακτὰν κυσίν τε φοινίαν
δαῖτ' ἀνήμερον
οὐρείαν τ' ἐκβολάν;
πᾷ στῶ; πᾷ βῶ; πᾷ κάμψω,
ναῦς ὅπως ποντίοις πείσμασι λινόκροκον
φᾶρος στέλλων, ἐπὶ τάνδε συθεὶς
τέκνων ἐμῶν φύλαξ
ὀλέθριον κοίταν;

Apparet regnare in hoc carmine numeros dochmiacum et anapaesticum, qui sese in vicem interpellant, habentque quosdam versus inter se respondentes.

§. 725.

Sequitur mox in Hecuba a v. 1088. aliud carmen paromoeostrophum. Id sic scribendum videtur:

αἰαῖ, ἰὼ Θρῄκης ά.
λογχοφόρον, εὔοπλον, ἔφιππον Ἄρε-
ός τε κάτοχον γένος,
ἰὼ Ἀχαιοί, ἰὼ Ἀτρεῖδαι. β'.
βοάν, βοὰν ἀΰτῶ, βοάν·
ἴτ', ὦ, ἴτ', ὦ, μόλετε πρὸς θεῶν.
κλύει τις, ἢ οὐδεὶς ἀρκέσει; τί μέλλετε; μ.
γυναῖκες ὤλεσάν με,
γυναῖκες αἰχμαλώτιδες.
δεινά, δεινὰ πεπόνθαμεν.
ὤ μοι ἐμᾶς λώβας. ά.
ποῖ τράπωμαι; ποῖ πορευθῶ; β'.
ἀμπτάμενος οὐράνιον ὑψιπετὲς
εἰς μέλαθρον, Ὠρίων
ἢ Σείριος ἔνθα πυρὸς φλογέας ἀφίη-
σιν ὄσσων αὐγάς; ἢ τὸν ἐς Ἀΐδᾳ
μελανοχρῶτα πορθμὸν ᾄξω τάλας;

Hoc carmen compositum est ex duabus strophis ά, ά. quae initiis sibi respondent. Fit autem initium versu dochmiaco et paeonicis. Media inter has strophas mesodus est. Sed interpellant ipsas duo sibi respondentes versus trochaici β', β'.

§. 726.

Carmen ex duabus strophis sibi respondentibus compositum, sed variis interpellationibus in paromoeostrophum commutatum, legitur in Phoenissis, quod constituere studui in mea editione v. 1720. In Sophoclis Trachiniis v. 863. carmen est paromoeostrophum, divisum inter singulas virgines chori *κατὰ ζυγὰ* accedentes et nutricem. Id sic scribendum est:

Ἡά. πότερον ἐγὼ ματαιός, ἢ κλύω τινὸς — πρ.
οἴκτου δι' οἴκων ἀρτίως ὁρμωμένου;
Ηβ'. τὶ φημί; — ά.
ἠχεῖ τις οὐκ ἄσημον, ἀλλὰ δυστυχῆ
κωκυτὸν εἴσω· καί τι καινίζει στέγη.
Ἡγ'. ξύνες δὲ — ά.
τήνδ' ὡς ἀήθης καὶ συνωφρυωμένη
χωρεῖ πρὸς ἡμᾶς γραῖα σημανοῦσά τι.
ΤΡ. ὦ παῖδες, ὡς ἄρ' ἡμὶν οὐ σμικρῶν κακῶν
ἦρξεν τὸ δῶρον Ἡρακλεῖ τὸ πόμπιμον.
Ἡδ'. τί δ', ὦ γεραιὰ, καινοποιηθὲν λέγεις;
ΤΡ. βέβηκε Δηάνειρα τὴν πανυστάτην
ὁδῶν ἁπασῶν ἐξ ἀκινήτου ποδός.
Ἡέ. οὐ δή ποθ' ὡς θανοῦσα; *ΤΡ.* πάντ' ἀκήκοας. β'.
Ἡς'. τέθνηκεν ἡ τάλαινα; *ΤΡ.* δεύτερον κλύεις. β'.
Ἡζ'. τάλαιν', ὀλεθρία; τίνι τρόπῳ θανεῖν σφε φῄς;
ΤΡ. σχετλιώτατ' ἔς γε πρᾶξιν *Ἡή.* εἰπὲ, τῷ μόρῳ, γ'.
γύναι, ξυντρέχει;
ΤΡ. αὑτὴν διηΐστωσε. *Ἡϑ'.* θυμός, ἢ τίνες — γ'.
νόσοι, τάνδ' αἰχμᾷ
βέλεος κακοῦ ξυνεῖλε; *Ἡί.* πῶς ἐμήσατο — γ'.
πρὸς θανάτῳ θάνατον
ἀνύσασα μόνα; *ΤΡ.* στονόεντος ἐν τομᾷ σιδάρου.

῾Ηιά. ἐπεῖδες, εἶδες, ὦ μάταιε, τάνδ' ὕβριν;
ΤΡ. ἐπεῖδον, ὡς δὴ πλησία παραστάτις.
῾Ηιβ'. τίς ἦν, πῶς; ῾Ηιγ'. φέρ' εἰπέ. δ'.
ΤΡ. αὐτὴ πρὸς αὑτῆς χειροποιεῖται τάδε.
῾Ηιδ'. τί φωνεῖς; ΤΡ. σαφηνῆ. δ'.
῾Ηιέ. ἔτεκεν, ἔτεκε μεγάλαν
ἁ νέορτος ἅδε νύμφα
δόμοισι τοῖσδ' ἐρινύν.

Notavi appositis in margine numeris quae sibi respondent, in quibus ter trimeter iambicus sequente dochmio positus est, sed ita ut horum primus et tertius trimeter ab anapaesto incipiat, eoque hi sibi respondeant, et qui inter eos medius est cum suo dochmio trimeter pro mesodo sit, tertio autem dochmio adhaereat epodi loco versus anapaesticus logaoedicus.

§. 727.

Ex parte antistrophicum est carmen, quod legitur in Troadibus a v. 239.

1 ῾Ε. τόδε, τόδ', ὦ φίλαι γυναῖκες, τόδ' ἆρ', ά.
ὃ φόβος ἦν πάλαι.
Τ. ἤδη κεκλήρωσθ', εἰ τάδ' ἦν ὑμῖν φόβος.
2 ῾Ε. αἰαῖ, τίν' ἢ β'.
Θεσσαλίας πόλιν, ἢ
Φθιάδος εἶπας, ἢ Καδμείας χθονός;
Τ. κατ' ἄνδρ' ἑκάστη, κοὐχ ὁμοῦ λελόγχατε.
3 ῾Ε. τίν' ἄρα τίς ἔλαχεν; τίνα πότμος ἀτυχὴς ά.
Ἰλιάδων μένει;
Τ. σὺ δ' ἀλλ' ἕκαστα πυνθάνου, μὴ πάνθ' ὁμοῦ.
4 ῾Ε. τοὐμὸν τίς ἄρ' γ'.
ἔλαχε τέκος, ἔνεπε, τλάμονα Κασσάνδραν;
Τ. ἐξαίρετόν νιν ἔλαβεν Ἀγαμέμνων ἄναξ.
5 ῾Ε. ἦ τᾷ Λακε- γ'.
δαιμονίᾳ νύμφᾳ δούλαν; ὤ μοί μοι.

Τ. οὐκ, ἀλλὰ λέκτρων σκότια νυμφευτήρια.
6 *῾Ε. ἦ τὰν Φοίβου* β'.
παρθένον, ᾇ γέρας ὁ
χρυσοκόμας ἔδωκ' ἄλεκτρον ζωάν;
Τ. ἔρως ἐτόξευσ' αὐτὸν ἐνθέου κόρης.
7 *῾Ε. ῥῖπτε, τέκνον, ζαθέους* δ'.
κλῇδας, καὶ ἀπὸ χροὸς ἐνδυτῶν στεφέ-
ων ἱεροὺς στολμούς.
Τ. οὐ γὰρ μέγ' αὐτῇ βασιλικῶν λέκτρων τυχεῖν;
8 *῾Ε. τί δὲ τόδ' ὃ νεοχμὸν ἀπ' ἐμέθεν ἐλάβετ', ἐλά-* ά.
βετε τέκος, ποῦ μοι;
Τ. Πολυξένην ἔλεξας, ἢ τίν' ἱστορεῖς;
9 *῾Ε. ταύταν τῷ πάλος ἔζευξεν;* έ.
Τ. τύμβῳ τέτακται προςπολεῖν Ἀχιλλέως.
10 *῾Ε. ὤ μοι ἐγώ, τάφῳ πρόςπολον ἐτεκόμαν.* δ'.
ἀτὰρ τίς ὅδ' ἦν νόμος, ἢ τί θέσμιον,
ὦ φίλος, ῾Ελλάνων;
Τ. εὐδαιμόνιζε παῖδα σήν· ἔχει καλῶς.
11 *῾Ε. τί τόδε, τί τόδ' ἔλακες; ἆρά μοι ἅ τάλαιν' ά.*
ἀέλιον λεύσσει;
Τ. ἔχει πότμος νιν, ὥςτ' ἀπηλλάχθαι πόνων.
12 *῾Ε. τί δ'; ἁ δὲ τοῦ* ς'.
χαλκεομίτορος Ἕκτορος δάμαρ,
Ἀνδρομάχα τάλαινα, τίν' ἔχει τύχαν;
Τ. καὶ τήνδ' Ἀχιλλέως ἔλαβε παῖς ἐξαίρετον.
13 *῾Ε. ἐγὼ δὲ τῷ* ς'.
πρόςπολος ἁ τριβάμονος χερὶ
δευομένα βάκτρου γεραιῷ κάρᾳ;
Τ. Ἰθάκης Ὀδυσσεὺς ἔλαχ' ἄναξ δούλην σ' ἔχειν.
῾Ε. ἒ ἔ, πρ.
ἄρασσε κρᾶτα κούριμον,
ἕλκ' ὀνύχεσσι δίπτυχον παρειάν.
ἰὼ ἰώ μοί μοι ζ'.
μυσαρῷ δολίῳ τε λέλογχα φωτὶ δουλεύειν,
πολεμίῳ δίκας παρανόμῳ δάκει,
ὃς πάντα τἀκεῖθεν ζ'.

Ἔθετ' ἀντίπαλ' αὖθις ἐκεῖσε διπτύχῳ γλώσσᾳ
φίλα τὰ πρότερ' ἄφιλα τιθέμενος πάντων.
γοᾶσθ', ὦ Τρῳάδες, με· *ἐπ.*
βέβακα δύςποτμος, οἴχομαι τάλαινα,
ἃ δυςτυχεστάτῳ προςέπεσον κλήρῳ.

Quae in his addidi metri indicio, diductis litteris scripta sunt. Atque in undecima quidem stropha quod libri praebent,

τί τόδ' ἔλακες; ἆρά μοι ἀέλιον λεύσσει,

praebet id quidem duos dochmios, sed parum elegantes, ut illi videantur tres potius fuisse, sicut in prima, in tertia, in octava stropha. Constat autem totum carmen ex duabus partibus, quarum in priore, quae strophas habet tredecim, singulis strophis subiicitur trimeter Talthybii: secunda pars autem proodum, stropham, antistropham et epodum complectitur. Litterae, quas in margine posui monstrant, quae strophae sibi vel totae vel ex parte respondeant.

§. 728.

Aliter comparatum est carmen paromoeostrophum, quod est in Phoenissis v. 298. seqq. Id sic scribendum videtur:

Χ. ὦ συγγένεια τῶν Ἀγήνορος τέκνων
ἐμῶν τυράννων, ὧν ἀπεστάλην ὕπο,
γονυπετεῖς ἕδρας προςπίτνω σ',
ἄναξ, τὸν οἴκοθεν νόμον σέβουσα.
ἔβας, ἔβας χρόνῳ γᾶν πατρῴαν. ἰώ,
πότνια, μόλε πρόδρομος, ἀμπέτασον πύλας.
κλύεις, ἰὼ τεκοῦσα τόνδε μᾶτερ;
τί μέλλεις, τί μέλλεις ὑπόροφα μέλαθρα
περᾶν, θιγεῖν τ' ὠλέναισιν τέκνον;
ΙΟ. Φοίνισσαν, ὦ νεάνιδες, βοὰν ἔσω
δόμων κλύουσα τῶνδε γή-
ραι τρομερὰν ἕλκω ποδὶ ποδὸς βάσιν.
ἰώ, ἰὼ τέκνον, τέκνον, *στρ.*
χρόνῳ σὸν ὄμμα μυρίαις ἐν ἀμέραις

προςεῖδον· ἀμφίβαλλε μα-
στὸν ὠλέναισι ματέρος,
παρῄδων τ' ὄρεγμα, βο-
στρύχων τε χαί-
τας κυανόχρωτα πλόκα-
μον σκιάζων δέραν τάνδ' ἐμάν.
ἰὼ ἰὼ μόλις φανεὶς ἀντ.
ἄελπτα κἀδόκητα ματρὸς ὠλέναις.
τί φῶ, τί φῶ σε; πῶς ἅπαν-
τα χερσὶ καὶ λόγοις ἐκεῖ-
σε καὶ τὸ δεῦρο πολυέλι-
κτον ἁδονὰν
περιχορεύουσα τέρ-
ψιν παλαιᾶν λάβω χαρμονᾶν.
ἰὼ τέκος, ἐμὸν τέκος
ἔρημον πατρῷον ἔλιπες δόμον,
φυγὰς ἀποσταλεὶς ὁμαίμου λώβᾳ.
ἦ ποθεινὸς φίλοις,
ἦ ποθεινὸς Θήβαις.
ὅθεν ἐμάν τε λευκόχροα κείρομαι
δακρυόεσσ' ἀνεῖσα πένθει κόμαν,
ἄπεπλος φάρεων λευκῶν, ὦ τέκνον,
δυςόρφναια δ' ἀμφιτρυχῆ τάδε
σκότι' ἀμείβομαι.
ὁ δ' ἐν δόμοισι πρέσβυς ὀμματοστερής,
ἀπήνας ομοπτέρου τᾶς ἀπο-
ζυγείσας δόμων
πόθον ἀμφιδάκρυτον ἀεὶ κατέχων
ἀνῇξε μὲν ξίφους
ἐπ' αὐτόχειρά τε σφαγάν,
ὑπὲρ τέρεμνά τ' ἀγχόνας
στενάζων ἀρὰς ἀραιὰς τέκνοις·
σὺν ἀλάλαισι δ' αἰὲν αἰαγμάτων
σκότια κρύπτεται.
σὲ δ', ὦ τέκνον, γάμοισι δὴ
κλύω ζυγέντα παιδοποιὸν ἁδονὰν

ξένοισιν ἐν δόμοις ἔχειν,
ξένον τε κῆδος ἀμφέπειν·
ἄλαστα ματρὶ τᾷδε Λα-
ΐῳ τε τῷ παλαιγενεῖ
γάμων ἐπακτὸν ἄταν.
ἐγὼ δ' οὔτε σοι πυρὸς ἀνῆψα φῶς
νόμιμον ἐν γάμοισι σοῖς, ὡς πρέπει
ματέρι μακαρίᾳ·
ἀνυμέναια δ' Ἰσμηνὸς ἐκηδεύθη
λουτροφόρου χλιδᾶς· ἀνὰ δὲ Θηβαίαν
πόλιν ἐσιγάθη σᾶς ἔσοδος νύμφας.
ὄλοιτο τάδ', εἴτε σίδαρος,
εἴτ' ἔρις, εἴτε πατὴρ ὁ σὸς αἴτιος,
εἴτε τὸ δαιμόνιον κατεκώμασε
δώμασιν Οἰδιπόδα·
πρὸς ἐμὲ γὰρ κακῶν ἔμολε τῶνδ' ἄχη.

Incipit hoc carmen proodo, quam excipiunt v. 310. stropha et antistropha. Deinde sequitur v. 326. systema dochmiacum, cui inserti duo sibi respondentes versus. Inde alia stropha v. 336. ex iambico trimetro, dochmiis, anapaestis, iambis, dochmiis, cuius ultimi duo versus 344. 345. respondent versibus 334. 335. Tum systema iambicum v. 346. et dochmiacum v. 353. postremo dactylicum v. 359. quod finitur dochmiis.

§. 729.

Aliud carmen partim antistrophicum, partim dissimilibus inter se systematis interpellatum, ita ut quodammodo paromoeostrophum videri possit, in Phoenissis est a v. 1493. quod in mea illius tragoediae editione, quantum incerta quibusdam in locis scriptura fieri posse videbatur, in suas partes divisum dedi.

§. 730.

Accedat his denique memorabile exemplum, quod est in Sophoclis Oed. Col. 226. et 241. Nam quae ibi sunt duo

systemata dactylica, ultimo versu sibi respondentia, eorum prius, ut in summa animi anxietate, uno tenore decurrit:

X. οὐδενὶ μοιριδία τίσις ἔρχεται,
ὧν προπάθῃ, τὸ τίνειν. ἀπάτα δ' ἀπά-
ταις ἑτέραις ἑτέρα παραβαλλομέ-
να πόνον, οὐ χάριν ἀντιδίδωσιν ἔ-
χειν. σὺ δὲ τῶνδ' ἑδράνων πάλιν ἔκτοπος
αὖθις ἄφορμος ἐμᾶς χθονὸς ἔκθορε,
μή τι πέρα χρέος
  ἐμᾷ πόλει προςάψῃς.

Alterum recte distinctos tetrametros habet, qui interpellantur duobus sibi respondentibus versibus ex choriambo et Cretico compositis.

ἀλλ' ἐμὲ τὰν μελέαν, ἱκετεύομεν,
  ὦ ξένοι, οἰκτείραθ', ἃ
πατρὸς ὑπὲρ τοὐμοῦ μόνου ἄντομαι,
ἄντομαι, οὐκ ἀλαοῖς προςορωμένα
ὄμμα σὸν ὄμμασιν, ὥς τις ἀφ' αἵματος
ὑμετέρου προφανεῖσα, τὸν ἄθλιον
αἰδοῦς κῦρσαι· ἐν ὑμῖν, ὡς θεῷ,
κείμεθα τλάμονες· ἀλλ' ἴτε, νεύσατε
  τὰν ἀδόκητον χάριν.
πρός σ' ὅ τι σοι φίλον ἐκ σέθεν ἄντομαι,
ἢ τέκνον, ἢ λέχος, ἢ χρέος, ἢ θεός·
οὐ γὰρ ἴδοις ἂν ἀθρῶν βροτὸν οὔτιν' ἄν,
ὅςτις ἂν εἰ θεὸς
  ἄγοι 'κφυγεῖν δύναιτο.

INDEX LATINVS.

(Numeri sunt paragraphorum.)

Accentus Graeci vis 96. seqq. Latini 100.
anapaesticus numerus 37.
anceps mensura 33. 65. seqq.
arsis nuda 104.
basis 32. 105. seqq. duplex 107.
bene monosyllabum 159.
beneficium quadrisyllabum 159.
brevis vocalis producta in nomine proprio 101.
catalexis 44.
clausulae 188. seqq.
crasis 88. seq.
dipodia 32.
elisio in Latinis versibus, praef. p. VII.
epitriti secundi 536—547.
epodi tragicorum 678.
Faliscum metrum 534.
hiatus 80. seqq. apud comicos Lat. 102.
hypermeter versus 187. seqq.
iambici ischiorrhogici 217. 236. 497.
iambici trimetri anapaestus apud comicos praef. p. X. 599.
interpunctionis vis 102.
irrationale tempus 33.
male monosyllabum 159.
maleficium quadrisyllabum 159.
metrum 32.
orthius 563.
paeon epibatus 564.
paeonicus numerus 198. 445.
palimbacchiaci versus 195. 275.
paracataloge 53. 268.
parodus 664. seq. 669.
pausa 52.
pedes 31.
recitatio versuum Latinorum, praef. p. VII. sq.
s finale 95.
silentium 52.
stasimum 664. 666. 669.
synecphonesis 90. seqq.
synizesis 90. seqq.
syzygia 32.
trochaeus semantus 51. 267. 563.

INDEX GRAECVS.

Ἀλλοιόστροφα 706.
ἄλογος χρόνος 33.
ἀνάκλασις 428.
ἀνάπαιστα 655.
ἀναφωνήματα 709.
ἀνομοιόστροφα 706. 714. 715.
ἀντιχορία 672.
αο genitivus 81.
ἀπόθεσις 44.
ἀπολελυμένα 706. 707.
ἀπὸ σκηνῆς 685.
ἄστροφα 706. seqq.
ἄτμητα 706. 713.
διχορία 672.
εἵως trochaeus 99.
ἐνόπλιος ῥυθμὸς 330. praef. p. XXII.
ἐπιφθεγματικὰ 711.
ἐπιφωνήματα 708. 709.
ἑτερόστροφα 706. 714.
εὔυμνος dactylus 77.
ἐφύμνια 709. 710.
Ζῆν accusativus 329.
ι dativi 94.
κεβλὴ 123.
κόμμα 40.
κομμοὶ 684.
κουκούλιον 438.
κῶλον 40.
μεσύμνια 710.
μὴ ὥρασι, praef. p. XVII. seqq.
μονόστροφα 713.
οἶκος 438.
οιο genitivus 81.
παρομοιόστροφα 714. 716. seqq.
πολύστροφα 712. 714.
προςοδιακὸν μέτρον praef. p. XXII.
στιχομυθία 651.
στροφικὰ 707.
τείως trochaeus 99.
ὑμνεῖν prima correpta 77.

INDEX SCRIPTORVM.

Aeschylus Agam. 483. seqq.	669. 675
1457. seqq.	695
Choeph. 312. seqq.	694
442. seqq.	691
804. seq.	451
Perf. 93.	678
164.	120
269.	253. 271
275.	253. 271
1013.	222
Prometh. 425. seqq.	678
900. seqq.	678
finis	696
Sept. ad Th. 78. seqq.	267. 722
490.	224
Suppl. 390.	221
851.	291
Alcaeus ap. Hephaest.	515
Alexis Milite	praef. p. XVI
apud Athenaeum	praef. p. XIX
Aristides Quintil. p. 33.	198
Aristophanes Ach. 47.	160
318.	123
404. seqq.	160. 701
748.	praef. p. XII
928.	160
Av. 108.	160
333. seqq.	380. 449
523.	366
536.	366

Av. 1495. praef. p. XV
1497. 156
Eccles. 315. 160
912. seqq. 703
Equit. 301. 117
453. 136
508. 385
Lysistr. 319. seq. 411
338. 405
345. 402
838. 156. praef. p. XIII
1037. praef. p. XVII. XX
Nub. 63. 156
214. praef. p. XV
663. 160
1192. praef. p. XV
1427. 169
Pace 187. praef. p. XV
246. 160
415. praef. p. XIV
Plut. 688. praef. p. XVI
1011. 157
Ran. 664. seq. 702
932. 169
1203. 161
1220. praef. p. XV
1307. 156. praef. p. XII
1322. seqq. 468
Thesm. 285. 158
1136. 469
Thesm. II. apud Athen. praef. p. XIV
Vesp. 317. 704
684. 385
1169. praef. p. XIV
1369. 156. praef. p. XV
Aristoxenus El. rhythm. p. 303. 198
Caecilius 191
Callimachus Fr. 397
Cantio apud Schol. Theocriti 501
Carmen amatorium in Crameri Anecd. Paris. 438
Carmen Priami 525
Carmen Saliare 525
Censorinus 571

Comicus incertus ap. Diog. Laert. 77
Cratinus 384
apud Athen. XIII. p. 566. E. 502
Damoxenus 158
Ennius 162
Epicharmus ap. Athen. VII. p. 315. 121
Ἐπιμύλιος ᾠδή 525
Eupolis 161
Euripides Androm. 844. 233
Bacch. 863. 478
996. 93
Cycl. 41. 55. 488
493. seqq. 440
Electr. 153. 496
Hecub. 684. seqq. 692
1056. seqq. 724
1088. seqq. 725
Helen. 1644. 122
Herc. fur. 919. 216
1295. 93
Hippol. 751. 464
Ione 138. 494
219. seqq. 700
285. 93
677. 260
1499. 267
Iphig. Aul. 232. seqq. 669
547. 469
Iph. Taur. 1129. 469
Oreste 140. 153. 250
182. 205. 249
982. seqq. 715
Phoen. 210. seqq. 468
298. seqq. 728
330. seq. 251
Suppl. 523. 89
Troad. 239. seqq. 727
263. 267
769. 146
1287. seqq. 689
Hephaestio 176
Hesiodus O. et D. 589. 77
640. 90

Horatius od. I. 37, 14. 587
II. 13, 7. 590
IV. 8. 578
Ibycus 302. 305
Laevius 333
Livius Andronicus Odyss. 525
Lucianus Tragodopodagra 333
Marcius vates 525
Naevius Bello Punico 525
Oraculum apud T. Livium 525
Philyllius 461
Pindarus Olymp. VI. 52. 599
VII. 2. 599
XI. 4. 599
XII. 6. 599
Pyth. I. 109. 91
IV. 92. 92
IX. 599
Isthm. II. 538. 599
III. 599
IV. 541
III (IV). 1. 539. 599
IV (V). 599
V (VI). 52. 599
Nem. V. 599
V. 25. 599
IX. 75. 111. 599
Plato comicus 157
Hyperbolo 504
Plautus Amphitr. I. 1, 14. 427
I. 1, 82. 210
Asin. III. 2, 10. 171
IV. 1, 26. 154
Aulul. II. 1, 30. 427
Bacch. IV. 4, 4. seqq. 209
IV. 10. seqq. 392
Most. III. 2, 1. seqq. 209
Pers. II. 4, 9. 177
Pseud. I. 1, 17. 102
fine 280. 281
Rud. I. 5, 19. 206
Stich. II. 1, 37. seqq. 382
Trin. II. 1, 17. seqq. 208

Poeta incertus ap. Hephaest. 518
Sappho apud Hephaest. 522
Scipionum monumenta 525
Septimius Serenus 534
Sophocles Aiace 1187. seqq. 479
Antig. 607. 467
1121. 1132. 564
Oedipo Col. 216. seqq. 534
226. seqq. 730
241. seqq. 730
Oedipo R. 483. seqq. 408
Philoct. 826. 296
1089. 468
1140. 410
1151. 464
1402. 120
Trach. 205. seqq. 681
263. seqq. 726
848. 218
Terentius Adelph. IV. 4, 1. 191
Andr. III. 2, 5. 279
III. 2, 37. 193
III. 5, 7. 182
IV. 1, 12. 210
Hec. II. 2, 1. 170
V. 1, 16. 177
V. 2, 9. 171
V. 3, 32. 170
Phorm. I. 4, 17. 130
III. 2, 1. 130
Timocreon praef. p. XIX

Typis I. B. Hirschfeldii.

Lipsiae, Typis E. Polzii.